UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Quarto die Iouis Quadragesimæ: Homilia Vigesimaqvarta. De socru Simonis. Egreßus Iesus de synagoga introiuit in domum Simonis. &c. Luc. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

D.Chr. Ho.47.in Gen.To.1 Pſ.50.16. D.Chryſoſtom. *Conſummata hoſtia ex mente Patriarchæ*: Deoque gratiſſima; Hoc ſacrificij genus maximi facit Deus: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Hoc ipſum eſt, quod laudibus extollit mirificis, quod tantis remunerat beneficijs, vt euidenter oſtendit dum ait: *Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem*: q.d. inquit D. Chryſoſtom. *Ego voluntatem coronare ſoleo, & propter mentem præmia præſto* &c. Hanc magnifacio voluntatem, cor æſtimo, cor requiro, cor exopto. De his omnibus fuſè aliàs tractauimus
Tract.2.n.38 6. varijs adductis doctrinis, S. Scripturæ locis, Patrum ſententijs, nec non hiſtorijs: ſed illa maximè quam enarrat D. Gregor. de S. Epiſcopo Li.3.dial. c.10.
Fortunato pleniſſimam admiratione. Omni igitur cuſtodia, totâ diligentiâ cuſtodi cor tuum, ipſum eſſe attendas tuæ radicem perditionis: cauſamque damnationis: preces tuas cum Dauide, ad Deum dirige, poſtula: *Cor mundum crea* Pſ.50.
*in me Deus*: illud ſi mundum fuerit, mundæ erunt & manus tuæ, & opera, mundaque facies vtraque in hoc mundo per gratiam, quibus gloriam conſequatis æternam. Amen.

# SVMMARIVM

## HOIMILIÆ VIGESIMÆ QVARTÆ SEQVENTIS.

PROPONITVR nobis in Euangelio Saluator noſter, vt fons ſalutis, domum ingrediens Petri, eius ſocrum, alioſque plurimos infirmos pri-
a §.1. ſtinæ reſtituens valetudini. *a*. Sex articulis diſtinguitur. Primus: circa
Petri perſonam, qui primo in ſtatu vixit coniugali, & demum cœli-
b §.2.3.4.5.6. batus. In hoc docuit, tales eſſe debere ſacerdotes Euangelicos. *b*. In il-
c §.7.8. lo vero ſanctos eſſe poſſe coniugatos, *c*. Secundus: domum loquitur Petri, quam, de-
d §.9. ſertâ Synagogâ, Chriſtus ingreditur. *d*. Tertius: ſocrum narrat in domo Petri febri-
e §.10.11. citantem, nulla namque domus in mundo gaudet à morbis libera. *e*. Quartus: infir-
f §.12.13. mitatis deſcribit qualitatem, quæ ſocrum detinebat: *Tenebatur*. *f*. Erantque febres ar-
g §.14.15. dentiſſimæ: proprium, infirmitatum animæ ſymbolum. *g*. Quintus: Redemptorem
h §.16.17. habet, curantem infirmam, precibus amicorum eius adductum, *h*. & aliorum diſci-
i §.18. pulorum (eſt enim efficax ſanctorum oratio. *i*. maximè verò totius communitatis) *k*.
k §.19.20.21. quam manibus apprehendens ſanauit. *l*. Sextus: concludit alios quoque curatos à
l §.22.23 morbis infirmos, impoſitis ſingulis manibus Saluatoris. *m*.
m §.24.

§.1. *Diſcurrit Chriſtus, vt fons hortorum, de quo ſponſa, ſalutis illos rigans fluentis.*

§.2. Socrus Simonis. *Fuerit licet D. Petrus vxoratus, noſtris tamen ſacerdotibus, ob ſacrificii, quod offerunt, puritatem, vxoratos eſſe non permittitur.*

§.3. *Noſtris conuenit ſacerdotibus eſſe continentes, vt ſignatur in neruo Iacob, qui emarcuit, & vndis Iordanis, quæ curſum ſuum ſuſpenderunt.*

§.4. *Oportet ſacerdotes eſſe continentes, vt ſe totos Deo conſecrent. vt Hieremias & Ezechiel, nec non Ægyptiorum ſacerdotes, & ſacerdotiſſæ.*

§.5. *Sacerdotes non alios filios habeant, quàm pauperes, qui in illis nidificent, vt cecinit David.*

§.6. *Inter Apoſtolos, ſolus Petrus vxorem habuit, at illam dimiſit, ſicut alij poſtmodum, quorum vxores dicebantur Epiſcopæ & presbyteræ.*

§.7. *Status matrimonij ſanctus eſt poteſtque matrimonio iunctus ſanctus euadere: vt Enoch, Noë Abraham, Moyſes &c.*

§.8. *Agat coniugatus id quod præcepit Apoſtolus, videatque quid egerit Noë.*

§.9. E-

§.9. Egreſſus de ſynagoga. *Chriſtus egreditur de ſynagoga, Petrique domum ingreditur, ſcilicet Eccleſiam, domum ſalutis.*

§.10. Socrus autem Simonis tenebatur. *Nulla ſine defectibus congregatio, nec ſcandalizeris ex ſanctorum quibuſdam defectibus.*

§.11. *Nulla in terra domus, ſicut nec in Ægypto, ſine doloribus, qui extimulent, & iuſtè talem creauit Deus hunc mundum.*

§.12. Tenebatur. *Infirmitatibus homo detinetur: ſiue ob humilitatem, vt D. Paulus, aut vt ſuo ſiſtat in itinere, vt Antiochus.*

§.13. Tenebatur. *Illi, qui te rogat, vt pro febris intercedas liberatione, illud reſponde. quod Dominus Paulo, & Paulus Timotheo.*

§.14. Magnis febribus. *Anima tenetur infirma febribus amoris inordinati: hic namque malus eſt ignis, de quo D. Ioannes.*

§.15. Magnis febribus. *Quando febres magnæ ſunt, ipſæ tenent infirmum, & rabidam excitant ſitim, ſicut in Theotimo.*

§.16. *Licet infirmitas peccati talis ſit, vt eâ meritum perdatur rogandi Deum pro ſalune; illam à Domino ſancti ſua impetrant interceſsione.*

§.17 Rogauerunt illum. *Intercedunt ſancti pro parentibus ſuis, & patria, vt Moyſes, Abraham, & Hieremias.*

§.18. Rogauerunt illum. *Efficax eſt oratio ſanctorum, quæ Deum ligat, vt in Elia patet: & eorum nobis opus eſt interceſsione.*

§.19. *Præclaris idem probatur exemplis Abraham & Lot, quæ hanc ob cauſam particulariter à Spiritu S. referuntur.*

§.20. *Habeto Sanctos particulares, quibus afficiaris, quorum interceſsio tibi valeat, velut illa Oniæ Heliodoro, & D. Nicolai Tribunis.*

§.21. *Plurimum refert, filias veſtras tradere Dei famulis vxores.*

§.22. Rogauerunt illum. *Magna vi pollet oratio communitatis, vt patet in D. Petro & Paulo.*

§.23. Stans ſuper illam. *Cum Dei manu, tua quoque in tuam requiritur ſalutem.*

§.24. Apprehenſa manu eius. *Manus Saluatoris & infirmæ confluunt, vt ipſa reſurgat incolumis: veſtra namque in tuam requiritur ſalutem: & quantumlibet boni fecerit, ex illa pendet virtute, quam illi Redemptor contulerit.*

§.25. Singulis manus imponens. *Imponunt manus ſuas Confeſſarij ſingulis pœnitentibus in particulari illos curaturi.*

# HOMILIA XXIV.

## DE SOCRV SIMONIS.

### Tertio die Iouis Quadrageſimæ.

*Egreſſus Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis &c.* Lucæ 4.

1 DESCRIBIT nobis hodie perilluſtris Euangeliſta Lucas Chriſtum Saluatorem in ciuitate Capharnai, tot miraculis, tot prodigioſis actibus coruſcantem, vt ex illis non minimam patriotæ Nazareni contraxerint inuidiam: qua de cauſa formatam illam in Chriſtum ſtruxerunt querelam, quam die Lunæ præterito intelleximus. De monte deſcendit Redemptor noſter, in quo ſolemnem illam habuerat concionem, qua legis Euangelicæ, vitæque Chriſtianæ prima iecit fundamenta, poſtmodum ad montis radices leproſum mundauit, in prædi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

catæ doctrinæ confirmationem. Inde diuertit Capharnaum, ad cuius ingreſſum ſolo verbo languentem Centurionis ſeruum ſaluti reſtituit incolumem: Filiam principis Synagogæ mortuam ad vitam reuocauit. Ingreſſus ciuitatem hominem à nefario vexatum ſpiritu liberauit, ſignis adeo manifeſtis ſuam ſupra cunctas legiones inferni declarans potentiam, vt præſentes in admirationem raperet vehementiſſimam. Egreditur inde, domumque ſubintrat Simonis, vbi ſocrus eius febribus æſtuabat ardentiſſimis, & rogantibus pro illa cunctis, apprehendens manum eius, adeo ſaluam in pedes erexit, vt extemplo Chriſto potuerit eiuſque diſcipulis ad menſam cibum potumque miniſtrando deſeruire. Quo diffamato miraculo, narrante Euan-

Marc. 1. 33 gelſta, cuncti ad domus ianuã confluxerunt: *Erat omnis ciuitas congregata ad ianuam.* Vt verò audierunt Chriſtum ibidem moram aliquam trahere, confeſtim innumeros ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis illuc adduxerunt, ipſe verò, vt manus ſuas ſalutis fontes eſſe demonſtraret, ſuas ſingulis manus imponebat, dicto citius ſanabantur omnes, & à dæmonibus oppreſſi liberabantur. Dæmones tantam experti potentiam, cui nequibant obſiſtere, corporibus exſilientes, exclamabant: Verè tu es filius Dei: Veruntamen illis Saluator ſilentium impoſuit, nec ab aliis voluit illos audiri: hæc namque eſt

Epiſt. 37. ad Iulia. Lib. 6. de adorat. in ſpi. (vt teſtantur Diuus Hieronymus & D. Cyrillus Alexandrinus) pœna legitima mendacis, illum vera licet proferentem, non auſcultare. In tanta multitudine ſalutis, dolendum eſſet nos illa priuatos ingemiſcere. Suæ ipſam gratiæ nobis Dominus libens communicabit, ſi illam intercedente cœlorum regina Maria virgine poſtulemus, eandem ſalutantes: *Aue Maria.*

## §. 1. *Diſcurrit Chriſtus, vt fons hortorum, de quo ſponſa, ſalutis illos rigans fluentis.*

☞ 2

a Li. 1. de Virgin. ad Marcellã ſororem ſuam. b L. 2. contra Creſcõ grammat. c. 13. 14. Cant. 4. 15.

DIuinam cenſuit eſſe verborum hyperbolem D. Ambroſ. *a.* quem ſecutus eſt Diu. Auguſtinus. *b* qua ſponſa cœleſtis declarat & deſcribit exercitia, modoſque procedendi ſponſi ſui cœleſtis: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Non abnuo, quin communiter SS. Patres hæc verba dicta intelligant à ſponſo de ſponſa: ſed præfati duo Patres, illa dicta cenſent modo oppoſito: nobis autem hoc ſufficere poteſt, cum D. Bernardo ſufficiat, cum ipſe de ſeipſo dicat: *Ab his duabus columnis Ambroſio & Auguſtino, mihi crede, difficile auellor.* Sponſum igitur cœleſtem ſponſa deſcribit cœleſtis: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ impetu fluunt de Libano.* Libanus mons eſt altiſſimus, vnde ſemper niuibus cooperitur: qua de cauſa (teſte Diuo Auguſtino) Libanus appellatur, id eſt candidus. Hinc emanat celebris ille fluuius Iordanis; qui de duobus oritur fontibus ex ipſo defluentibus, nomen vni Ior, alteri verò Dan, quibus in vnum coniunctis nomen conflait Iordanis: ita Plinius. *a.* & Ioſephus. *b.* Hic ex monte deorſum defluit, & ad pedem profundi demergitur ſtagni, quod puteum appellarunt; & aquarum viuentium eſſe perhibetur eo quod illo aqua profluat in terras inferiores adeo viua, vt ſemper fluere videatur. Hac de cauſa eodem in loco plures coluntur horti: & mirabile viſu eſt, qualiter fons ille cuncta præterfluat viridaria: in hoc enim influit, fœcundat, illoque elabitur, & in aliud decurrit, viride amœnumque reddit vt Maium & de hoc aliud, vitam fructiferis mille tribuens arboribus, herbis non minus ſalutiferis, quàm odoriferis, quo fructus germinant excellentes adeo, quales videre licet in eiuſdem telluris exploratoribus, qui gratiſſimas vuas, ficus & malogranata inde detulerunt in apertum regionis illius fœcunditatis argumentum. Verum certè dixero, hæc omnia minimè creata fuiſſe, niſi vt nobis fontis huius ſymbolo, viua ea deſcriberetur, cuius aquas multò feruentiùs, quam illas de ciſterna Bethlehem, David guſtare deſiderabat.

Quinimo hac ex ratione ſponſum ſponſa cõſiderans, illum per has iactabat ipſa delineatum. Dilectum ſuum in montis cacumine perpendit, in quo nos illum oſtendit Euangeliſta Matthæus: *Aſcendit in montem.* (Naſo quoſdam ſuſpendit Diu. Hieronymus & inter illos amicum ſibi Cromatium: montem hunc cenſentes fuiſſe montem Oliueti: hic enim quem Chriſtus prædicaturus aſcendit ſitus erat (inquit D. Hieronym.) mons Thabor (ita ſentit D. Bonauentura) vel mons alius altior in Galilea, non procul à ciuitate Capharnaum, ſic opinantur terræ ſanctæ deſcriptores Brocardus. *a.* Adricomius. *b.* qui teſtantur in eius faſtigio petram eſſe, in qua Saluator ſedit, quamque ſibi in cathedram erexit, eaque de cauſa non minoris æſtimandam nec ipſo quoque cœlo minus felicem.

In

II. Chriſtus fons diuinus.

In hoc monte dilectum ſibi dilecta contemplatur, qui licet non fuerit Libani, non illo tamen minus venuſtus, non minus candidus, non minus ſplendoribus cœleſtibus illuſtris, ex tanti Domini præſentia, qui candor eſt lucis æternæ, & ſine macula ſpeculum. Illum attende vt fontem diuinum, qui riuos aquarum diuinæ ſcaturit ſapientiæ perfectè quod per vatem promiſerat illud implens: *Aperiam in ſupinis collibus flumina.* (Iſai.41. 18.) Inde aquarum cœpit fluere riuus ineffabilium, cum hic os ſuum aperuerit, & earumdem cœperit gurgites ebullire. Riuus hic de duobus oritur fontibus, vno ſapientiæ ſcilicet diuinæ & increatæ, alio verò creatæ in anima ſua, quæ ipſam infinities excedat Cherubinorum ſapientiam, qui ex hoc nomen ſortiuntur, quòd ſcientiâ pleni cenſeantur.

III. Chriſtus fons aquas effundens largiores,

O quis hoc in monte fons ſcaturit, pleniori gurgite, quàm ille paradiſi: hic enim ad quatuor ſolummodo regionis partes aquas diffundebat largiſſimas, hic autem ad omnes: hic námque Dominus reſidens os ſuum aperuit diuinum, cœpitque aquas effundere in ea numquam viſas regione: beatitudinis enim erant aquæ quas in mundo nullus hactenus intellexerat, illas diſpertit pauperibus ſpiritu, manſuetis, lugentibus, eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam &c. Inde deſcendit, & defluente per decliuia montis flumine, ad pedes eius ſiſtit impetum, & quaſi ſtagnum compoſuit, ſi namque in montis ſupercilio fons videbatur hic puteum eſſe dixeris: vnde & propriè *Fons & puteus* appellatur.

IV. Chriſtus concionatur puteus.

O cœleſte myſterium, quod nobis diuinus exponit Euangeliſta, dum ait: Chriſtum de monte deſcendiſſe, ad cuius ſubſtitit radicem: hic velut in ſtagno copioſas doctrinæ ac ſalutis effudit aquas: *Deſcendens de monte ſtetit in loco campeſtri.* (Luc.6.17.) Sicque ſe res habuit (inquit D. Ambroſ. nec diſſentit D. Auguſtin.) vt Chriſtus in montis vertice prædicarit Apoſtolis, vnde fuit ea concio ſublimior: ad radicem eius, turbis prædicauit minus perfectis & eruditis, vnde nec ſermo profundior. (Luc.6. Luc. Lib.2.de conſenſu Euang. c.19.) Hic fons ille ſubſtitit, velut in ſtagno ac puteo, hic doctrinæ cœleſtis & ſalutis fluenta effudit abundantiùs, quotquot enim accedebant infirmi, ſolo viuifico ſuo contactu ſanabantur omnes: Quocirca: *Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes.* (Luc.6.19.) En tibi fons, en puteus, at non aquarum ſtagnantiũ, ſed cuius erant aquæ viuæ, adeoque copioſæ, vt per omnes defluerent hortos, omneſque viuificarent: vt enim deſcendit, occurrit leproſo, quem ab immunditia purificauit. Hinc Capharnaum verſus proficiſcitur, ad cuius introitum, domum Centurionis cœleſtis aqua verbi irrigauit, ſalutemque famulo iam ſpiritum agenti reſtituit. Inde fons ad principis Synagogæ domum defluit, in qua plantæ omnes emarcuerant, præ nimia triſtitia, ex immatura morter, arboris pulcherrimæ filiæ nempe principis, illique vitam reparando, domum totam velut Aprili tempore vernans pratum floribus reſperſit exultationis. Ex hoc loco fons ad Synagogam curſum ſuum deflexit, hic pleno gurgite doctrinæ effudit riuulos, hominem dæmonis eripuit poteſtate, idque tam præclaris circumſtantijs, vt hortus ille bonorum ſpe cœleſtium totus reuireſceret. Tandem in domum dimanat Petri, arborem hic offendit grandæuam, quæ febris ardore nimio æſtuans exareſcebat; ſocrum ſcilicet eiuſdem Apoſtoli febricitantem quæ aquâ vitæ reſperſâ in tantam conualuit ſalutem, quantam numquam ſe habuiſſe lætabatur. Nec hic fons deſtitit, at innumeris accurrentibus infirmis, illi manus imponebat ſalutiferas, & fontis inſtar omnia profusè irrigans, nunc ad illum, modò ad alium: *Singulis manus imponens ſanabat omnes.* Optimè dicere licuit D. Petro ad huius fontis encomium: *Qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes.* (Actor.c.10. 38.) In tanta ſalutis aquarum vbertate, faxit Deus, vt ad animam noſtram vel vna depluat gutta, & ſi ex nobis non ſit defectus, integri profluent aquarum torrentes, illos enim Iſaias addixit Euangelicus, eis qui ſe fruendis illis debitè præpararent: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* (Iſa.c.12.3) Huius igitur diuini fontis profluuium attendamus.

## §. 2. Socrus Simonis. *Fuerit licet D. Petrus vxoratus, noſtris tamen ſacerdotibus, ob ſacrificii, quod offerunt, puritatem, vxoratos eſſe non permittitur.*

*EGreſſus Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* 4 Statim in huius hiſtoriæ principio (monet D. Hieron.) mireris ab Euangeliſta ſuppoſitum Diuum Petrum fuiſſe coniugatum: ſi namque ſocrum agnoſcebat, vtique mulierem habebat: *Agnoſco Petrum maritum* (inquit Tertullianus) *per ſocrum*: Quid hoc? (L.1.contra Iouinia. Tertul. L.de monogam.)

Nonne Diuus Petrus ſacerdos, & Epiſcopus, imo, & omnium caput Epiſcoporum? Si hic igitur vxorem duxerit, & cur alij ſacerdotes & Epiſcopi non ducunt vxores? Hac ratione nixi ſuam cuderunt hæreſim Vigilantius (quem D. Hieronymus potiori iure vocandum cenſet eſſe Dormitantium) nec non ſacrilegus Iouinianus, voluerunt hi ſacerdotes in Dei Eccleſia eſſe debere coniugatos: eſtque hæc vna hæreſis fundamentalis, melius dixero non fundamentalis, Lutheri, Caluini aliorumque noſtri temporis hæreticorum, quorum ore dæmon infernalis ad memoriam obliuioni traditas reuocauit ipſe blaſphemias.

*Ep. 35. ad Riparium aduerſus Vigilantium. Lib. 1. contra Iouin.*

I. Argumẽta hæreticorum.

Primò namque inferunt: in lege veteri ſacerdotes habebant vxores, filios procreabant, cũ tantque illi legis Euangelicæ figura ſacerdotum. Non perfectè figura videretur adimpleri, ſi figuratum figuræ non reſponderet. Vrgent, manifeſtum eſt, & negari non poteſt, Apoſtolos primos fuiſſe & perfectiſſimos Eccleſiæ Dei ſacerdotes ad quorum perfectionem acceſſit nemo accedet nemo; & hi omnes ex opinione multorum fuerunt vxorati D. Ambroſ. vnicum excipit Ioannem. D. Clemens Alexandr. opinatur D. Petrum, & D. Philippum, nedum vxores duxiſſe ſed & filios genuiſſe, quodque D. Paulus ad Euangelij prædicationem profectus ſecum in comitatu duxerit vxorem, inſuper & cæteri Apoſtoli: qua e ſic illa Pauli verba interpretatus: *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli? Omnes Apoſtoli excepto Ioanne, & Paulo vxores habuerunt*, inquit D. Ambr. Apoſtoli multos vxoratos in Epiſcopos conſecrarunt: & D. Paulus nihil aliud requirit, quam vt ille qui in Epiſcopum eſt aſſumendus *Sit vnius vxoris vir*. Ratione cuius multa congerit Apoſtolus. Si ergo Apoſtoli qui perfectionis Eccleſiæ ore morem luxerunt, de quibus D Paulus: *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes.* Qui prototypon & perfectiorum Euangelij ſacerdotum exemplar præluxerunt, ipſi quoque quos in ſacerdotes & Epiſcopos conſecrarunt eramque de melioribus gregis Eccleſiaſtici, vxores habuerunt, vt quid tales prohibemus eorum ſucceſſores? Num hoc fortè illis par eſt eſſe ſanctiores?

*In c. 11. ad Corint. Lib. 3. Strom. med. 1. Cor. 9. 5. D. Ambr. In c. 11 2 ad Cor. Tom. 3. 1. ad Tim. 3. 2. Ad Rom. c. 8. 23.*

II. Reſponſio D. Hieron.

O caput cerebro vacuum, Iouiniane (reſpondet D. Hier (ô ſtultos balterones hæreticos talia effutientes. Quid igitur nullane inter veteris nouæque legis differentia? ſacerdotes eo fine inſtituuntur (teſte Apoſtolo) vt offerant dona & ſacrificia: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia.* Quocirca ſerua a proportione quale eſt ſacrificium, talem conuenit eſſe ſacerdotem. Quæ dicito mihi in lege veteri legis oblata ſacrificia? Agnos, oues, capras, arietes, tauros, vitulos &c. Tanto ſacerdotes illi ſanguine rubebant animalium, tantis inteſtinis, ventriculis, adipibus manus eorum replebantur, vt laniones potius quàm ſacerdotes eſſe viderentur: ſemper inter cacabos, trullas, ollas craticulas verſabantur, vt coquos eſſe iudicares: tantuſque erat coquinæ numerus vtenſilium, quantum nec ſupremus terræ Monarcha poſſidet: Quid mirum ſi illi qui nihil præter carnes & animalium tractant ſanguinem, mulierem in matrimonium receperint? Legem illam nominat Apoſtolus carnalem, de eius ſacerdotio, ac ſacerdotibus faciens mentionem, eos dicat conſtitutos, *Secundum legem mandati carnalis*; Idq; ea de cauſa dici (docente Doctore Angelico in illum locum) quia quidquid illis mandabatur agendum carnem ſapiebat, nec niſi carnẽ tractabant, carnes circumdabant, mundabant offerebant: Explicet hoc nobis D. Chryſoſt. quid eſt, mandati carnalis? *Circumcide* (inquit) *carnem, vnge carnem laua carnem, munda carnem, tonde carnem, alliga carnem nutri carne, ſatiare carne. Et bona rurſus quænam? Lac & mel carni, pax carni, alimentũ carni*: Vide & Apoſtolus ſuas iuſtificationes, appellat *Iuſtitias carnis*. Quid hoc miraris, ſi talibus ſacerdotibus, negotia carnis, carniſque matrimonia concedantur? Nihilominus illos ſtricto Dominus limite continebat (ſummi namque ſacerdotis matrimonium cum virgine tantum, & ſemel tantummodo fieri permittebat prout ex profeſſo notat D. Hier. *a*. & illo anterior D. Cyprian. *b*. varijs S. Scripturæ locis idem confirmans) eorumque cum ſuis vxoribus conuerſatio tanta fieri debebat cautione vt quotieſcumque diuino cultu detinebantur impediti, pluribus, diebus ab vxoribus continentes abſtinerent; Illis quibus competebat aſcendere altaria illa illa litare ſacrificia, pauca grana adolere incenſi, ad hoc tantum, ſub pœna capitis præcipiebat Deus, vt mundi à mulieribus pluribus ante diebus his intereſſent ſeruirentque miniſterijs. Addo: quicumque ad altare miniſtraturus accedebat, ex legis mandato, tunicâ lineâ carnem ſuam conſtringebat in eius ſignum continentiæ, quam pro illius temporis inſtituto Deus ab illis exigebat.

*Hebr. c. 5. 1*

III. Cur lex vetus dicitur eſſe carnalis. Hebr. 7. 16.

D. Chryſ. Orat. ... Ep. ad Hebr.

Hebr. 9. IV. Summo ſacerdoti non niſi virginem ducere licebat. a Locis. b Ep. ad Stephan. V. Continentia veteris legis.

VI. Nouæ legis ſacerdotes.

Verum enim vero hic in noua lege, quale, obſecro, contingunt manibus ſacrificium ſacerdotes?

[illegible] munditia qualis. dotes? qualè conſecrant, Deoque dedicant? Ipſum eſt verbum æternum, cœlorum munditia, lucis æternæ candor, ac diuinæ ſplendor maieſtatis, cuius in conſpectu nec ipſi cœlites Angeli mundi eſſe cenſentur, ſtellæ ſordent, qualis igitur neceſſe eſt ſit ille ſacerdos hæc manibus ſacrificia contrectaturus, has hoſtias immolaturus? *Pura igitur ſit mens, pura cogitatio, quia ſacrificium purum eſt.* Hortatur nos D. Chryſoſt. ſint mundi ſacerdotes, ſint ab operibus caſti carnalibus, ſint corpore, ſint anima, ſint cogitatione, ſint corde ipſo ſole ſplendidiores. (D.Chry. ſerm.5. de proditione Iudæ.)

&c. 5 Eleganter diſcurrit D. Pau. circa illa Dauidis vatis verba, quæ in Chriſti perſona protulit. Patrem tædebat æternum veterum ſacrificiorum, animalium immolationum: quæ nulla præſtabant virtute, neque Deo perfectè ſatisfaciebant: voluit ergo ſacrificium offerri ſibi valoris infiniti, quo præterita omnia conſummarentur: Illudque fuit filij ſui vnigeniti: Verum quia in ſeipſo, & in diuina ſua perſona offerri, ſacrificari & occidi non poterat, vult illi corpus aptari ſingulare, operaque ſingulari, in quo poſſit immolari. Rationem tibi propono, cur noſtram aſſumpſerit carnem, factus homo. Hoc porro corpus quale fuit? Exponit Dauid (interprete D. Paulo) dum ait: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Notatu dignum eſt hoc verbum: *Aptaſti:* Sicut enim Regi egreſſuro ad celebranda comitia, non expedit vt nudus egrediatur, ſed aptatur illi veſtimentum data opera congruum illi quod eſt acturus, pretioſum, honorificum, regali conueniens maieſtati, ita quoque, dum Dei filius in mundum deſcendit, vt Patri in ara crucis offeratur victima ſalutaris, corpus illi congruum erat aptandum, ſuaque dignum perſona: licet enim concedamus nullam cum Deo creaturam habere poſſe proportionem: habuit tamen in hoc, quòd illi præparetur humanitas, adeo ſancta, pura, munda vt ſanctior, purior, mundiorque non poſſet inueniri, cunctis plena gratiis, diuinis referta donis, eo planè modo quò Theologorum ſol explicat.

(VII. Quale Christi fuerit corpus.) (Pſal.39.7.) (VIII. Similitudo.)

At qua ratione illi corpus hoc aptatur? quis illud præparauit? notum eſt, à Spiritus S. formatum, ab ipſo, qui ſpiritus eſt mundiſſimus, puriſſimus, nulla permixtus carne, nulla fœdatus macula: hac enim de cauſa dicitur Sanctus, id eſt nulla imperfectionis fuligine conſpurcatus. Auctor eſt omnis puritatis, & ipſe eam in omnium producit cordibus mortalium. Cordis poſtulat Dauid puritatem: *Cor mundum crea in me Deus.* Quis modus illam obtinendi? Quis tibi illam infundet? Spiritus S. *Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Ipſe purificat: ipſe ſanctificat animas. Vbi quæſo præparauit, vbi corpus hoc adaptauit? In viſceribus virginis ſole purioris, luna pulchrioris, ipſis ſideribus ſplendidioris. Hoc S. confitetur Eccleſia: *Conceptus eſt de Spiritus S. natus ex Maria Virgine.* Et hoc Angelus virgini reſpondit puriſſimæ quærenti: *Quomodo fiet iſtud? Spiritus S. ſuperueniet in te.* Luc.1.35. Redditur ergo illa, vt cœlum pura & limpida: illa namque de cauſa quãdo ſe princeps hæc ſpectandam obtulit D. Ioa filio Dei grauida, in cœlo mulier apparuit, amicta ſole, luna ſub pedibus eius, in capite corona ſtellarum duodecim, vt ſubtiliter expendit D. Bernard. Ex eiuſdem puriſſimo ſanguine formauit Spiritus S. corpus purum, imo aculatum. Et hoc ad quid? Quia in puriſſimæ virginis huius vtero ſacrificium erat offerendum. Sicque ſe res habuit: eo namque momento, quo Verbum æternum in Sanctiſſimæ virginis vtero corpus aſſumpſit humanum, ſeipſum æterno dedicauit Patri, mortemque, quam poſtmodum paſſus eſt, acceptauit. Tali oblationi conuenit, vt qui illam præparat ſit ipſe Spiritus Sanctus & vbi præparatur, virgo ſit ipſis Seraphinis purior.

(Iſa.4.7. 11.9) (IX. Spiritus S. Chriſti corpus aptauit.) (Pſal.50.12.) (Ser. in illud: Signũ magnum apparuit in cælo &c.) (X. Chriſti ſacrificiũ in vtero Virginis.)

Hoc idem ſacrificium vult in Eccleſia, ipſum ſibi Chriſtum offerri, qui in ſuæ conceptionis principio, in ipſis virginis viſceribus ſe ipſum obtulit, & vltimo vitæ ſuæ termino in altari crucis: idem ipſe in Eccleſia eſt ſemper offerẽdus: quomodo fiet iſtud? corpus hoc nunc eſt immortale, non hominum manibus tractabile. In eum finem inſtituit, vt ſit qui illud modo præparet, aptet, riteque diſponat, quo poſſit ſacrificari, & hic Sacerdos erit Euangelicus. Ita vt, ſicut ad primum ſacrificium, qui corpus hoc aptauit in quo poſſet verbum æternum offerri, ipſe fuit Spiritus S. qui diuina ſua virtute illud organizauit, & aptauit, vt expediebat, ita qui huic ſacrificio parat idemque aptat Chriſti corpus, Sacerdos, cui Saluator hoc poteſt dicere: *Corpus aptaſti mihi.* Ille corpus hoc ſub panis & vini diſponit ſpeciebus, id faciente, aliquò modo lingua ſua, ſpiritu, ſuorumque influxu verborum, quod Spiritus S. ſuæ virtutis influxu operatus eſt in S. virgine glorioſa. Ita vt, ſi linguam ſpectaueris Sacerdotis Euangelici, vicesque vocesque obit Spiritus S. in huius corporis formatione, quod huic paratur ſacrificio, cuius & manus locum obtinent, viſcerum Sanctiſſimæ virginis, quandoquidẽ id quod Spiritus S. in illis ex puriſ-

(XI. Sacerdos vice fungitur Spiritus S. in miſſa.)



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſimo operatus eſt ſanguine : qui in illis latebat, certo quodam modo peragit in ſuis manibus Sacerdos, ex pane & vino, quæ ſuis continet manibus conſecranda.

XII. Sacerdotis Euangelici puritas.

His conceſſis attende, quanta fulgeat oportet Sacerdos puritate. Eſt Spiritus S. cœli totius puriſſimus. Eſt caſtiſſima Virgo totius mundi puriſſima, qualis igitur eſſe debet, qui vices locumque obtinet vtriuſque, qui ſanctum præfert Spiritum, qui vt loquitur D. Ambroſ. electæ munere fungitur virginis, idque non ſemel tantum, vt illa, ſed diebus ſingulis : *Pura igitur ſit mens, pura cogitatio : quia ſacrificium purum eſt.* Si ad contrectandum caprum, arietem, ouem, bouem, multorum dierum exigebatur munditia, & in illis à proprijs ac legitimus vxoribus continentia, quæ tanto ſacrificio, quæ tantis contingendis parabitur munditia Sacramentis? Religioſa fuit illa Sacerdotis (teſte D. Hieronymus) Achimelech præcautio. Accedit Dauid ſuis ſtipatus militibus, ſed fame languens: obſecrat: Nobis porrige per animam tuam, panes ad veſcendum, fame deficimus : Laicos inquit Sacerdos, panes nullos habeo, ſed tantum propoſitionis. Erant autem hi maiores ab ipſis cocti ſacerdotibus, qui per ſingulas hebdomadas in altari coram Deo ſtatuebantur, illos iam eduros ad finem hebdomadæ tollebant, ponebantque recentiores. Illos igitur nobis elargire, precatur Dauid, at ſic eum Sacerdos interrogat: *Si mundi ſunt pueri, maxime à mulieribus?* Alius textus legit. *Ab vxoribus*; de illis etenim certum eſt loqui Sacerdotem: qui vtique ſciebat, quòd Dauid in comitatu ſuo, multo minus in hac occaſione mulieres non circumduceret leuiores, vitioque deditas libidinoſo. Inſuper tibi notandum, quòd tanta Dauid neceſſitate premebatur, vt, ſicut Saluator noſter aduertit, nulla lege coarctaretur, illoque tempore licuiſſe militibus talem quoque panem arripere, vt illa ſe neceſſitate liberarent. Mirum, quòd ad talis eſum panis, quem ſanctum habebant, tempore extremæ neceſſitatis, tanta requireretur mundities, rerum nominatim carnalium, vt illum comedere non permitteretur illi, qui propriam cognouiſſet vxorem, quid dicendum, de eo qui ſcortum? Qui adulteram? Quantò igitur erit conuenientius, vt ad cœleſtis huius panis ſumptionem, omnes mundi ſint Chriſtiani, & ad dignam communionem à proprijs abſtineant vxoribus? Porro ſi hoc in illis requiramus qui vno tantum die illo veſcuntur, quid de illis ſentiendum, qui panem hunc præparant, pinſunt,

*Li. 1. cōtra Iouin.*

XIII. Dauid ab vxoribus mundus, vt panibus veſcatur propoſitionis.

2. *Reg.* 21. 4.

diſponunt ſuiſque continuò tractant manibus, nec illo tantum ſaturantur, inſuper & offerunt in ſacrificium mundum, ipſoque cœlo ſplendidius: Omnino ſint illi puriſſimi, & à mulieribus alieniſſimi.

Nolim omittere ſingularem illam D. Ambroſius annotationem huic propoſitio congruam: Memento, inquit, illius leproſi, quem diximus à Chriſto ad montis radicem mundatum, quem cum diuini vi verbi ſui à lepra curaſſet, illi præcepit : *Vade, & oſtende te Sacerdoti & offer munus tuum, quod præcepit Moyſes* &c. Idem contigiſſe narrat D. Lucas & alijs decem, qui pro ſua corporis mundities Chriſtum interpellantes, hoc protinus accepere mandatum : *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Vt quid Domine, iam à te mundatos præcipis, oſtendant ſe Sacerdotibus? Nonne expediret, eo tenderent adhuc immundi, & in eorum mundarentur præſentia? Nequaquam (inquit D. Ambroſ.) qui namque ſe ſiſtere debet Sacerdoti, paſſerem oblaturus, qui pro leproſi offerebatur emundatione ratio ſuadet, vt ad eum accedens, iam ſit emundatus: vt nouerit Sacerdos cum ille ipſe ſit, qui offerre tenetur ſacrificium, quam ſe mundum eſſe cōueniat. Porro ſi hoc in talibus cum ſacrificijs, tum Sacerdotibus requirebatur, quid de noſtris iudicandum? Audite D. Ambroſium: *Vide Sacerdos, ſi mundos eos, qui ante fuerant leproſi, Chriſtus iubet occurrere Sacerdotibus, quanto magis ipſum conuenit eſſe Sacerdotem.*

XIV.

*D. Amb. de viduis. T. 4.*

### §. 3. *Noſtris conuenit ſacerdotibus eſſe continentes, vt ſignatur in neruo Iacob, qui emarcuit, & vndis Iordanis, quæ curſum ſuum ſuſpenderunt.*

SVbtiliter expendit Abbas Rupertus in hiſtoria Iacob illud, quod Angelus neruum in femore Iacob tetigerit, qui confeſtim emarcuit, quod particulariter refert Spiritus S. Toto noctis ſilentio cum Angelo Iacob luctabatur, & hoc vnicè prætendebat, ſuam illi Angelus impertiret benedictionem. Illuceſcente aurora, ait illi Angelus : *Dimitte me.* Abſit hoc, reſpondit Iacob: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Pergratum eſt mihi, quod poſtulas: Ego tibi benedico, & loquens pariter & faciens, extendit manum : *Tetigitque neruum femoris eius, qui ſtatim emarcuit.* En tibi quod petiſti, pro libitu mea modò potire benedictione. In cuius ſymbolum tibi hoc dico: A modo nō vocaberis

*Gen.* 32.

Iacob,

Iacob ; ſed Iſrael erit nomen tuum. Cœpit Ia-
I. Neruus in femore Iacob aridus quid ſignificet. cob incedere, & ecce claudicat. Quæ igitur eſt iſta benedictio, diuine Spiritus, non benedictio ſed cenſenda videtur maledictio ; & Iacob potius maledictus quàm benedictus ? Myſterium non capis ( inquit Rupertus ) Luctabatur cum Deo populus Iudaicus, ſacrificijs & orationibus : talis etenim fuit lucta Iacob cum Angelo. Lachrimis & orationibus, & hoc à Deo contendebat, diuinam nempe ſibi conciliare benedictionem: hoc eſt, vt ille in mundum veniret, per quem omnes gentes benedicerentur, Pſ. 84.1. de quo iam præſente, cantandum eſſet : *Benedixiſti Domine terram tuam.* Hæc benedictio conceſſa eſt oriente aurora, hoc eſt in aurora legis gratiæ, quæ in ſacris literis aurora nuncupatur : veniens enim filius Dei in mundum, & homo factus omnem gratiæ & gloriæ nobis Eph. 1.3. tribuit benedictionem : *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* Verùm cum tali pariter benedictione, decreuit, vt qui illum brachijs, manibuſque complectitur, quique cum illo fortiter luctatur, illuceſcente aurora, exarente femoris neruo, claudicet. Proh altum myſterium, & mirabile Sacramentum !

II. Femur ſignificat generationem. Gen. 24. Femoris neruus in S. pagina, matrimonium, ſeu generationem prænotat. Ita pater fidei Abraham, quo ſignificaret, ex ſemine ſuo Chriſtum naſciturum, præcepit Eleazaro domus ſuæ œconomo, vt poſita manu ſuper femur ſuum, velut altare ſacrum, præſtaret iuramentum. Apparente igitur aurora, Angelus impertiens Iacob benedictionem, eius femur tetigit, & exaruit : q. d. qui manibus Verbum æternum continebant, de nocte, hoc eſt in vmbris, vt in animalibus ſacrificiorum, vt figuris, non refert, quod de filiorum agant generatione, ſint vxorati, illique rei intendant animum : illi vero, qui idem verbum ſplendente aurora legis gratiæ manibus debent contrectare, quique ad hunc effectum benedictione ſunt conſecrandi ſingulari, tantum abeſſe debent, à

III. Sacerdotes nouæ legis ſint cælibes. Iſa. 56.3. tractandis, nutriendis, generandiſque filijs, quaſi femur illis eſſet, areſactum, dico, myſterio mirabili : hoc namque nomine ſpiritus Dei appellat continentes: *Lignum aridum*: Quàm longe conuenit abeſſe ab operibus carnalibus illum, qui totus huic ſtudere debet, vt ſecum, ſibique vnitum habeat Patris æterni verbum linguam illam, qua tanto illi corpus adaptat ſacrificio ? manus illas quibus illud ſuſtinet : oculos illos, quibus illud intuetur, os illud, quo ſumit, pectus illud, quo recepit ? *Pura ſit mens, pura cogitatio quia ſacrificium purum eſt.*

Si placeat hoc Ruperti ſubtile myſterium, placeat illud multo ſubtilius D. Hieronymi obijcientis Moyſes vxorem duxit, filioſque genuit, Sacerdos nihilominus fuit eminentiſſimus, & à Deo electus; cur igitur nec tales ſunt Euangelici? Reſpondebo tibi, (inquit.) Si magnum attendas myſterium inter Moyſen & Ioſue. Nihil omnibus apertius, quam Moyſen legis veteris vices, & perſonam adumbraſſe: ita diuiti Epuloni Abraham: *Habent Moyſen & prophetas.* q. d. Iam legem habent, & prophetas. Et Paulus Apoſtolus: *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen.* Nulli dubium eſt in vtroque teſtimonio Moyſen ſignificare legē. Ioſue figuram expreſſit Saluatoris, qui primo dicebatur. Oſee, quod idem eſt ac Ieſus, id eſt Saluator ; ipſe namque, vt ait Apoſtolus Iudas: *Populum de terra Ægypti ſaluans*, in terram promiſſionis introduxit. Nunc ergo perpende, quid Ioſue acciderit : ſuſcepto namque munere ducis ſupremi, & totius populi regimine ad Iordanem acceſſit. Toto tempore quo Moyſes ſuperuixit, fluxerunt aquæ Iordanis, ac Ioſue accedente curſum ſuum ſuſpenderunt, nec fluxerunt, tanto ſtupore fœcis illius Gentilium, vt illo nihil amplius ipſos ſtupeſecerit. Noſtin ? Iouiniane ( ait ) defluentes aquas ſignificare nuptias, matrimonium, operaque carnalia, quæ defluunt in mare amarum ; quandoquidem, quæ cum gaudio, cantibus, & iubilatione cœperunt, lachrimis, ſuſpirijs, planctibuſque terminentur ? Illæ, quidem, fluxerunt, quo tempore Moyſes regiminis habenas moderabatur, hoc eſt, legis veteris tempore, in eius miniſtris ſcilicet Sacerdotibus, at vbi præcelſus adeſt Ioſue, ſuadet æquitas, fluere deſinant, viri que Apoſtolici matrimonijs, nuptijſque renuntient, ſtque illud quod mundum rapiat in ſtuporem vehementiſſimum, vt reipſa factum agnouimus, quodque gentiles in lege noſtra Euangelica tantopere percellit, dum vident in Chriſti Eccleſia, virgines puras, continentes, vitam ducentes Angelicam. Quod ſi me renuas intelligere ( loquitur D. Hieron. ) finem vnico verbo imponamus. Moyſes vxorem habuit : quia in lege Moyſi, hoc agebatur ; attamen dicito mihi, vbi Ioſue coniugatum inuenies? *Sicut ergo legimus, quod Moyſes, id eſt, lex habuerit vxorem, oſtende mihi Ieſum Naue, vel vxorem habuiſſe, vel filios, & ſi potueris demōſtrare victum me eſſe fateor.* Ioſue, Saluator, caſtus

IV. Moyſes legem veterem, Ioſue nouam ſignificat.

D. Hier. l. 1. contra Iouian. Tom. 2.

Luc. 16. 29

Rō. c. 5. 14.

v. 6.

V. Curſus Iordanis, nuptias deſignat.

D. Hier.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

caſtus ſuperuixit,in ſignum quod omnes Euangelici Sacerdotes teneantur incumbere, non curandæ ſaluti plebis temporali ſed ſpirituali;quo ſuppoſito certum eſt,quod cœlibes illos caſtoſque eſſe conuenit.

☞ 5. D.Hieronymus hoc proſecutus argumentum de nouæ legis Sacerdotum cœlibatu, hoc adducit quod D. Paulus in Epiſcopo requirebat : *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe* , ſic enim explicat:*vt nulli vitio mancepatus ſit.Vnius vxoris virum , qui vnam vxorem habuerit , non habet.*Nò duas in matrimonium duxerit: *Sobrium, ſiue vt melius in Græco dicitur:vigilantem,id eſt:* νηφάλιον. *Pudicum hoc enim ſignificat* σώφρονα. *Ornatum & caſtitate & moribus. Hoſpitalem , vt imitetur Abraham,& cum peregrinis , imo in peregrinis Chriſtum ſuſcipiat. Doctorem ; nihil enim prodeſt conſcientia virtutum fieri,niſi & creditum ſibi populum poſſit inſtruere , vt valeat exhortari in doctrina ſana , & eos qui contradicunt arguere.* Qui cunctis his effulſerit conditionibus commendabilis,bonus erit Epiſcopus , aptuſque erit Sacerdos. Cur ergo non præpoſuiſti : *Doctorem*, ad hoc enim vt doceat eligitur & Sacerdos & Epiſcopus? Minimè ſed hoc vltimò loco poſuit: quia ad Doctoratus lauream accedere ſupponit, primùm,virtutum præcellere meritis; quibus ſi non emineat , male alios edocebit. Sanctifica me Domine , clamat Dauid : ignoſce delictis: *Et docebo iniquos vias tuas.* Progreditur vlterius D. Hieronymus, & inferiùs illud enucleat D. Pauli : *Spiritu ambulate , & deſideria carnis non perficietis:Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum* &c. *fructus autem ſpiritus eſt:charitas , gaudium, pax,patientia, benignitas , bonitas , longanimitas; manſuetudo,fides , modeſtia, continentia , caſtitas.* Loquitur D.Hieronym.*Omnes ſpiritus , quaſi ſolidiſſimum fundamentum , & ſublime culmen continentia ſuſtentat , & protegit.* Idcirco vltimò ſcripſit continentiam : ea enim eſt , quæ cæteras fulcit, ſicut culmen ædificium , hoc namque illud ſuſtinet proinde & vltimo erigitur loco , quatenus ædificium concludat , illoque ſuſtenter ne collabatur. Decidat ab ædificiæ culmen in terram , & cæteri lapides collabentur.

[1.Tim. ca.5.2.]

[D.Hi.]

[VI. Caſtitas culmen cæterarum eſt virtutũ.]

[Pſ. 50.]

[D.Hi.]

[VII. D.Virgo vt culmẽ ædificij vltimo loco recenſetur.]

Ita notat D. Bernardus id quod de Chriſti diſcipulis refert D. Lucas quòd Chriſto cœlorum petente ſublimia: *Reuerſi ſunt diſcipuli* &c. *vbi manebant Petrus & Andræas* &c.*cum Maria matre Ieſu.*Vt quid D.Lucas locum aſſignat vltimum Cœlorum Reginæ , ſi in quolibet bono ſemper prima præceſſit? Vt declararet,quòd ipſa virgo ſanctiſſima culmen eſſet,quod Apoſtolicum concluderet collegium , omneſque ſuſtentaret,proinde illi, velut culmini ædificij locus vltimus aſſignatur. Eodẽ omnino hic modo continentiæ & caſtitati locus tribuitur poſtremus.Quia ſunt velut culmen ſublime cæteras fulcientes virtutes , quo caſtitatis culmine corruente , cæteras ſtare poſſe ſit impoſſibile. Paternis laribus excedit non vnicus, ſed primus filius,opibus affatim diues , multiſque bonis ad ſaturitatem locuples : iacturam patitur caſtitatis,& continentiæ triſte naufragium, illico cuncta quæ habuerat bona , peſſumdari conſpicies: *Conſumpſit omnia viuendo luxurioſe.*

[Act. c. 1.12.]

Hæc ea cauſa eſt ( inquit D. Hieronymus ) cur illæ dicerentur à Chriſto virgines , quibus Symbolum præluſit Chriſtus Eccleſiæ : *Inſitutum eſt de Euangelio decem Virginum exponere Sacramentum quinque ſtultarum , & quinque ſapientum. Hoc ſolum nunc dico , quod quomodo abſque cæteris operbus virginitas ſola non ſaluat , ſic omnia opera abſque virginitate,puritate, continentia,& caſtitate imperfecta ſunt.* Exemplum proponere in ijs voluit Chriſtus,quibus nihil aliud ſit curæ,quàm aduentum ſponſi præſtolari, qui nullo detineantur impedimento,ob hoc eos,nominat virgines: illæ namque ſunt,quæ ab omni impedimento ſolutæ præſtolantur.Modò clariùs intelligemus, cur tanto ſuadeat Sacerdotes & Epiſcopos eſſe caſtos , eſſe continentes : eo quod partim ad illos ſpectet Dei legem proponere vt doctores , doctrina verò ſanctitatem præſupponat abſolutam in eo , qui legis profitetur ſcientiam, quodque nulla in eo virtus deſideretur , & quia omnes ſuſtentat continentia , hac de cauſa conuenit Epiſcopos eſſe continentes , ſine hac namque , virtutes cæteræ vitio laborant imperfectionis. Partim quia ita ſe totos debent Deo conſecrare , vt nullum obſtet impedimentum , quo minus tales ſint , vt nihil ex his infimis eos remoretur , quin integri Deo conſecrentur. Ad hoc ſint ergo virgines , continentes , caſtique Sacerdotes : *Qui ſint ſine impedimento Dominum obſecrandi* : Qui namque tales non ſunt , mille turbinibus inquieti diſtrahuntur.

§.4. *Oportet ſacerdotes eſſe continentes, vt ſe totos Deo conſecrent, vt Hieremias & Ezechiel, nec non Ægyptiorum ſacerdotes, & ſacerdotiſſe.*

PRæter ſupradicta alias aſſignat D. Hieronymus rationes ſuo dignas ingenio. Prima ſumitur ex actionibus, & functionibus Sacerdotum, fundata in doctrina D. Pauli Euangelici Sacerdotes Deo vacare debent, continuis inſtare orationibus, exercitijs ſpiritualibus occupari, ad ſacrum eſſe expediti, diuiniſque laudibus diſtenti, nec non S. Scripturæ ſtudijs ſtudioſiùs incumbere; tandem cum ſint Deo conſecrati, ſe Deo totos offerant neceſſe eſt. Hoc vxori iunctus agere nequaquam poteſt, quia eo ipſo quo talis eſt (inquit Apoſtolus) magnam ſui ipſius animæ, cordis ac ſollicitudinis partem debet impendere mulieri: aliam non minorem filijs, aliam familiæ negotijs, & tali diſtrahi ſollicitudine qualem iure ſuo poſtulat ſtatus ille matrimonij: *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori & diuiſus eſt.* His doctum pariter & congruum adduco D. Hieronymi argumentum; ſingulari quadam eloquentia verbis comprehendit breuioribus totum illud volumen à celebri philoſopho Theophraſto: *De nuptijs* dictum. Quærit num conueniat ſapienti ducere vxorem? Et licet affirmatiuè definiat, ſi mulier fuerit pulchra, diues, prudens, modeſta, compoſita, taciturna, patiens, veræ ſapientiæ amica, quæ eius nedum non impediat importuna ſtudium, ſed inſuper ſedula promoueat.

I. Continentur ut Sacerdotes castis (?) — *margin:* Luc. 1. — I. Cor. c. 7. — Lib. 1. cont. Iouinianum.

Regreditur tamen, (inquit D. Hieronymus) & ex eo ipſo probat, nullo modo conuenire ſapienti ducere vxorem: quis enim talibus inueniat mulierem dotibus commendabilem? Primò; quis ſibi perſuadet, ſtudio philoſophiæ non obeſſe mulierem, cui principalem nauare operam tenetur vir ſapiens, cum illo tempore, quo ſtudioſius illi debet incumbere, neceſſariò debebit hoc omittere, vt mulieris occurrat feſtinus importunitati, filiorumque conſulat prouidus infirmitatibus: *Primum enim neceſſe eſt, impediri ſtudia philoſophiæ, nec poſſe quemquam liberis & vxori pariter inſeruire.* Secundò: mulier ſagacior eſt & importunior in optandis, petendiſque veſtibus: gemmis, ornatibus, mundo muliebri, pediſſequis, rhedis, aſſeclis &c. quibus fieri non poteſt, quin maxima requiratur ſollicitudo: *Multa eſſe, quæ matronarum vſibus neceſſaria ſunt: pretioſe veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia: lecticæ & eſſeda deaurata.* Tertiò: certæ ſunt ſingulis noctibus quærelæ, tranſacto celebri feſto, in quo ſe inuicem contemplatæ ſunt; ornatiores: pretioſioribus talis quàm ego, præfulget ornata lapidibus, veſte induitur cultiori, tunicam habet mundiorem. *Deinde per noctes totas garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum: hæc honoratior ab omnibus, ego in conuentu feminarum miſella deſpicior.* Quartò: *Attendenda ſemper eius facies, & pulchritudo laudanda* (& nec quidem licet ſolem ipſum intueri) *ne ſi alteram aſpexeris, ſe exiſtimet diſplicere &c. Cur aſpiciebas vicinam? Quid cum ancilla loquebaris, de foro veniens quid attuliſti: Alterius amorem ſuum odium ſuſpicatur.* Quintò: ſi venuſtate placeat, tantò maiori diligentia cuſtodienda: *difficile cuſtoditur, quod plures amant. Nihil tutum eſt, in quo totius populi vota ſuſpirant.* Si turpitudine, aut difformitate diſpliceat, amatur difficile, eſtque eius tædioſa ſocietas: *Moleſtum eſt poſſidere, quod nemo habere dignatur.* Et hoc ipſum illam excitat, vt ipſa quærit à quo, licet fœda, diligatur? *Sicut pulchra cito adamatur, fœda facile concupiſcit.*

II. Sapienti nocere, pedit uxor, D. Hier. — Ratio prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta.

Porro ſi digrediamur (inquit D. Hieronymus) ad morbos, partus, filios, filias, quas ſecum hæc trahant anxietates, quis poſſit calamus ſcribere, quæ lingua declarare? Tandem quis ſibi ſapiens mulierem alliget, niſi cognoſcat, prius enim illam quis exhorret, quam cognoſcat. Nullum in ſtabulum tuum adducis equum, iumentum, ſeruum, aquaticam lagenam, niſi prius, qualis ſit, probaueris; liber, illam remittendi ſi tibi minimè placeat, & mulierem in perpetuam tibi conduces ſocietatem; niſi probè noueris, quòd ſana, diſcreta, modeſta, ſitque taciturna? *Adde, nulla eſt mulieris electio, ſed qualiſcumque obuenerit; habenda: ſi iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida. Quodcumque vitij eſt poſt nuptias diſcimus. Equus, bos, aſinus, canis, & viliſſima mancipia, veſtes quoque & lebetes, ſedile, lignum, calix & vrceolus fictilis, probantur prius & ſic emuntur: ſola vxor non oſtenditur, vt antea diſpliceat, quam ducatur.* Proſequitur D. Hieronymus hos Theophraſti diſcurſus, multas eius, variaſque perpendens ſententias, eam præſertim quam multi ineundi causâ matrimonij producunt: heredes nempe habere, quam vt ſoluat, rationes adducit philoſophus, quibus Chriſtiani in veritate confunduntur: *Hæc & huiuſmodi Theophraſtus diſſerens quem non ſuffundit Chriſtianorum, quorum conuerſatio in cœlis eſt:*

III. Mulier ante nuptias non qualis ſit agnoſcitur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*eſt: quotidie dicunt: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

His reſponſum annectit D. Hieronymus quod

10 Cur Cicero ſecundam ducere noluerit vxorem.

Cicero, omnium ore celebris vt ſapiens, dedit amico ſuo Hirtio, qui perſuadere conabatur, vt abdicata vxore ſuo Terentiâ, alteram eius ſororem ſibi coniugio copularet. Hoc nequaquã (inquit Cicero) ſequar conſilium quo namque tempore Terentiæ coniuxi vxori, hoc didici, quod ſi duxero puellam in coniugem, ſolutus eſſe non poſſum, vt continuò ſtudium omne ſapientiæ librisque conferam ſoluendis: *Cicero rogatus ab Hirtio vt poſt repudium Terentiæ, ſororem eius duceret, omnino facere ſuperſedit, dicens non poſſe ſe vxori, & philoſophiæ pariter operam dare.* His aptè varias lectuque dignas connectit hiſtorias, tandemque concludit opinione Epicuri: qui inter cætera ſuis prælegebat diſcipulis, ne ſumerent vxores. Erat autem huius intentio, non de cœlo, non Deo ſeruiendi ſed vitam ducendi quietam, ab omnibus huius mundi laboribus feriatam, qualem in ſtatu matrimoniali, inueniri non poſſe ob infinitas prope curas, anxietates, pœnasque quas inuoluebat, arbitrabatur.

V. Cur Epicurus diſſuadeat nuptias. 1. Cor. 7. 33.

*Epicurus voluptatis amator, raro dicit ſapienti ineunda coniugia, quia, multa incommoda admixta ſunt nuptijs.* Hæc optime, (reſpondet D. Hieron.) at multo hæc omnia compendioſiùs D. Paulus verbis iam nunc declarandis: *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt:* ſummatim aduerte, quam grauia coniugatos opprimant onera.

VI. Varia onera cõiugatos opprimunt.

Primùm: placendi mundo continua ſollicitudo: *Sollicitus eſt, quæ sũt mundi.* Heu quanta ſecum trahit hæc ſollicitudo: conſulendi honori, familiæ, veſtimentis, negotijs, propriæ famæ, ſimiliter vxoris & filiorum, tãtoque creſcit hæc ſollicitudo grauiùs quantò ſibi ſtrictiùs imputandũ, quidquid mulier, filijque patrarint, nec non quidquid in domo ſua fuerit peractum indecentius.

Secundum: *Quomodo placeat vxori.* Bone Deus! Et quis placere poſſit animali, quod tantis, tamque varijs trahitur deſiderijs, vt dicebat, & verè dicebat Apoſtolus: *Ducuntur varijs deſiderijs.*

2. Timot. c. 3. 6.

Tertium: quòd cor eius & anima, in multiplices diſſcindatur partes: *Diuiſus eſt*, quàm magna illi pars eſt tribuenda, quæ tecum vnum eſt. Primæuæ mulieris Euæ ſpectat Apoſtolus formationem, ad quam Deus Adami oſſa diuulſit, & ex illis vnum Euæ tradidit, ex illa partem deſumens carnis infirmæ, Adæque coniungens, vt vnum quid exſurgeret, quo ſignificabat, quod magnam virilis roboris partem ſibi mulier attraheret, ille verò magnam fœmineæ partem ſibi imponeret infirmitatis. Hæc cum ita ſint, vide, qua ratione, qui taliter cor ſuum tenetur diſpertiri mulieri, liberis, negotijs, curis, totum dare queat Deo, & ſeipſum totum Deo dare poſſit, ſi pauco tempore in oratione cum Deo debeat agere, in hoc (teſte Apoſtolo) ſe ab propriâ diuellere debet vxore. Si die quodam ad Deum feſtinet accedere per ſacram Communionem, decet ab actu ſe contineat coniugali. Qui igitur inceſſanter orationi vacare, diebuſq; tenetur ſingulis ſacris adſtare altaribus Chriſti corpus ſumpturus, vt Sacerdos, quam erat hoc rationi conſonum, vt perpetuum à ſtatu ſe ſegregaret nuptiali, viueretque caſtiſſimus.

Inquirunt Sacri Doctores cauſam ob quam Deus per Angelum Moyſi mortem intentaret. Rem Spiritus S. refert ſingularibus plenam circumſtantijs. Apparuit in rubo Moyſi Dominus, præcipit, ad filios Iſrael proficiſcatur in Ægypto vitam ipſis, mancipijs ad triremes damnatis ducentes longe duriorem, illiſque hæc fauſta denunciet; decreuit vos Deus hac miſera liberare ſeruitute, & in terram patribus veſtris promiſſam introducere, lacte & melle manantem. Multiſque interiectis (a) præcipit vt vadat in comitatu ſecum deducens fratrem ſuum Aaron, & ſeniores Iſrael, vt Regi loquantur Pharaoni. In eum finem, prodigioſam illam Moyſi virgam tradidit tantorum effectricem mirabilium. Reuertitur Moyſes in Madian, vt mulierem filioſque iumentis impoſitos ſecum duceret; medio in itinere ſubſtiterunt, vt panem comederent, ſeque ab itineris labore feſſos recrearent: hoc namque his verbis indicatur: *Cum eſſet in itinere in diuerſorio.* Quod alia lectio habet, vt notat D. Auguſt. *Et factum eſt in via ad refectionem.* Cumque ſimul hoc in loco veſcerentur: *Occurrit ei Dominus*, (erat autem Angelus) *& volebat occidere eum.*

Quid hoc rei Domine, quam viam ingreditur, vt illi ſtricto pugione mortem mineris. Dum Balaam aſinâ vectus ſuas inſequitur vias, iam patet, ex ratione factum & iuſtitia, vt illi ſeſe ferox opponeret Angelus in via, & ſtricto in pectus eius mucrone, mortem, ſi progrederetur, intentaret: erant enim viæ eius peruerſæ, ex D. Iacobi ſententia: ſuâ namque cæcus auaritiâ, & promiſſis regis Balac ſeductus proficiſcebatur Dei populo maledicturus. Et Moyſes quid peccauit, recto tendit itinere in Ægyptum, tuum Domine mandatum expleturus, & id opere, quod

illi tam ſtrictè iniunxiſti, perfecturus? Quid agit, aut quid intendit, morte puniendum? Plures reſpondent Doctores: hanc fuiſſe rationem, quòd filios ſuos nondum circumcidiſſet, ſecumque veheret, filijs Iſrael locuturus: quorum erat hoc præceptum circumcidendi filios: q. d. Pergis populum Dei docturus, eique præfuturus gubernator, atque præceptum circumciſionis propoſiturus, quod ipſe tranſgrederis? Et hanc ſatis liquet fuiſſe rationem, quandoquidem Sephora periculum capitis aduertens Moyſi imminens marito petram ſumpſerit acutiſſimam, filijque præputium circumciderit, quò facto dimiſit Moyſen Angelus incolumem.

Hanc opinionem efficaciter refellit Diodorus Tarcenſ. Primò: ſi enim hæc fuiſſet cauſa, non ſuffeciſſet Sephoræ vnum tantummodo circumcidiſſe filium, vt videtur: aliumque non circumciſum in itinere ſecum duxiſſe. Secundò: ex quo tempore Deus locutus eſt cum Moyſe, egitque cum filijs Iſrael de egreſſu ex Ægypto, non occurrit, quod de puerorum mentionem fecerit circumciſione, qui nec illis quadraginta annis, quibus per Arabiæ deſerta vagati ſunt, circumcidebantur. Hæc autem conuenientior videtur eſſe ratio, quam habemus ex D. Auguſt. quæ Theodoreto non diſplicet, nec antiquo D. Epiphanio contradicit, nempe quòd ad commiſſionem ſibi iniunctam implendam, ad vxorem filioſque ſit reuerſus, illos ſecum in itinere conducturus. Elegit eum Dominus vt mediator eſſet inter Deum & populum vtque communiter cum Deo ageret, ab ipſo legatus mittendus modo ad Pharaonem, modo ad populum, modo ad ſeniores Iſrael. Cum igitur te Dominus eligat, vt cum eo communiter, & familiariter agas, quid tibi mulierem quid filios aſſocias?

Pauca ſapis & valde procedis inordinatè: *In hoc loco poſſumus intelligere* (inquit D. Auguſt.) *quod diſplicuerit Deo, quare Moyſes tanta mirabilia facturus vxoris impedimentum ſecum ducere vellet in Ægyptum.* Et hanc eſſe rationem probatur: quia ex eodem loco coniugem & filios remiſit in Madian ad ſocerum ſuum, vnde ipſa venerat, eratque oriunda: ipſe vero ſolus, miniſterium, ad quod eum Deus elegerat, receſſit impleturus: *Vnde datur intelligi, quod ex illo loco remiſerit vxorem ſuam ad ſocerum.* Hæc perpendens D. Epiphanius, colligit, quod ex illo die numquam amplius egerit cum vxore, aut illam vt maritus cognouerit: *Moyſes ex quo prophetare cœpit vxorem non cognouit, neque enim potuiſſet eſſe Deo familiaris, & coniunctus.* Hinc intellige, quantò magis eſſe debet ab vxore remotus Sacerdos Euangelicus à Deo electus, vt indeſinenter cum illo agat in altari, in oratione, ita vt eius omnes actiones vel cum Deo, vel cum populo eſſe debeant, Dei miniſtri ſedulus explens officium: Non hæc bene conuenit illi vxoris ac filiorum frequens inquietudo, quæ ſollicitudinem mouet illi illiſque proſpiciendi.

Notat vlterius D. Hieron. quid præmonuerat, id quod legimus à Domino præceptum duobus prophetis Hieremiæ & Ezechieli: & inter vtrumque differentiam ſtatuit: *Hieremias qui in vtero ſanctificatus eſt, & cognitus in vulua matris, ideo hoc priuilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini deſtinatus, & cum omnes captiui ſint, vaſa quoque templi Babylonio Rege vaſtante direpta, iſte ſolus liber ab hoſtibus eſt, & captiuitatis neſcit iniurias. Et Nabuzardam, cui de ſanctis ſanctorum Nabuchodonoſor non præceperat, præcepit de Hieremia. At è contrario Ezechiel captiuus tenebatur in Babylone: mortua eſt, inquit, vxor mea ad veſperam, & mane feci ſicut mihi præceptum erat; prædixerat enim Dominus quod in illa die aperiretur, & os eius loqueretur, & non taceret amplius.* Vocat Dominus Hieremiam, aitque illi: Propheta: *Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij & filiæ.* Ad quid Domine? Habemus inuicem communicanda conſilia. Immatura ſubitaque morte, noctu raptitur è viuis, vxor Ezechielis, & mane ſequenti prodit in publicum, ibique congregatis ſic ait: Hoc ſcitote chariſſimi: *Vxor mea mortua eſt.* Si mortua ſit ò vates, requieſcat in pace; quid vis faciamus? Sepelito illam. Ne putetis hoc à me in aere & ſine cauſa dictum: quia ipſa moriente, grauia Deus mihi conſilia communicauit, & hæc vobis eius nomine venio communicaturus: *Vxor mea mortua eſt, & Dominus locutus eſt ad me.* Hæc duo coniunge, monet D. Hieron. in hæc verba. *Diligenter attende, donec vxor viueret, non habebat libertatem populum commonendi; moritur vxor & coniugale vinculum ſoluitur, & abſque vlla trepidatione in officio prophetali ſemper eſt. Qui enim liber vocatus eſt, vere eſt ſeruus Chriſti. Hieremias captiuitate propinqua vxorem prohibetur accipere. Ezechiel in Babylone mortua eſt, inquit, vxor mea, & apertum eſt os meum, quia nec ducturus vxorem, nec illi qui duxerat poſſunt in opere coniugali liberè prophetare.* Hi ſerui ſunt qui ſine impedimento Chriſti ſeruiant & ad omnia Saluatoris mãdata ſint promptiſſimi, vnde ſuperiùs exponit D. Hier. hunc lo-

D. Hier. Epi. 15. ad Ageruchiam & Ep. ad Gerontiã viduã. Tom. 1.

XI. Differentia inter Hieremiam & Ezechielẽ.

*Hier. 16*

*Ezec. 24. 18.*

D. Hier.

X. Vxor donũ impedit prophetiæ.

cum: *Liber dicitur, qui matrimonio ligatus non eſt*. Vlterius progreditur, & ait; *Si laicus & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali, cum Apoſtolis praeceperit, quod abſtineant propter orationem, Sacerdoti cui ſemper pro populo offeranda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carẽdum matrimonio: nam etiam in veteri lege, qui ſpro populo hoſtias offerebant non ſolum in domibus uis non erant, ſed & purificabantur ad tempus ab vxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quae ſolent libidinem prouocare.* Hæc omnia D. Hieronymus. Si Deus, vt vel paruo tempore loquatur cum Hieremia, prohibet ne ducat vxorem: vtque Ezechiel poſſit cum eo vel quatuor verba colloqui, vult vt primo moriatur vxor, ſitque viduus, qua quæſo, ratione cum eodem poterit Deo diebus agere ſingulis, cum manibus, ore, linguâ contingens coniugatus?

☞ 12 Quinimo etiam ipſi pagani, (aſſerit D. Hier.) hæc apprimè intellexerunt. Primarij Athenienſium Sacerdotes, quos Hierophantas dicebant, quam primum Sacerdotali inaugurabãtur dignitate, cicutæ potum hauriebant, quæ adeo frigida eſt, vt omnem copulæ coniugalis eneruet fortitudinem: *Hierophante apud Athenas euiratur, & æterna debilitate fit caſtus.* Narrat Chæremon Stoicus vir eloquentiſſimus (ait D. Hieron.) vitam deſcribens Sacerdotum Ægypti, qualiter ſe continuerint eo quod inter altaria, dæmonum verſarentuur & ſtudijs vacarent Aſtrologiæ, motus curſuſque contemplantes ſolis, lunæ, ſiderum; ſemper idololorum templis inſidentes: ſed lubet audire D. Hieronymum: *Chæremon Stoicus vir eloquentiſſimus narrat de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum, quod omnibus mundi negotijs, cunctiſque poſtpoſitis ſemper in templo fuerint, & rerum naturas, cauſaſque ac rationes ſiderum contemplati ſint, numquam mulieribus ſe miſcuerint, numquam cognatos & propinquos, nec liberos quidem viderint, ex eo tempore, quo cœpiſſent diuino cultui deſeruire; carnibus & vino ſe ſemper abſtinuerint, propter tenuitatem ſenſuum & vertiginem capitis, quam ex paruo cibo patiebantur, & maximè propter appetitum libidinis, qui ex his cibis, ex hac potione naſcuntur: pane raro veſtebantur, ne onerarent ſtomachum, oleum tantum in oleribus nouerant* &c.

D. Hier. lib. 2. contra Iouinia. Tom. 2.

D. Hier.

XI. Sacerdotum Ægypti abſtinentia & caſtitas.

Proh quales Sacerdotes! Quanta ſolitudo! Quæ caſtitas! Quæ temperantia! Quæ ieiunia ab his culta dæmonum, infernique Sacerdotibus! Vtinam tales fuerint & Euangelici, Chriſtique Sacerdotes. Ad quid igitur nec matrimonia nouerant, nec vxores? Etenim ſciebant (inquit) quod ſi vxores ducerent, ſoluti ac liberi diuino nequirent toti vacare ſeruitio, nec ſuis aſtrolabijs attentius ſidera contemplari: quid Sacerdotibus agendum Euangelicis, quibus tanto decentiùs conuenit hoc vxorum onere eſſe liberos, quantò ſunt puriora, quæ circumeunt altaria, & ſacrificia quæ offerunt mundiora ac ſpiritualiora, ſuaque aſtrologia ſubliniore, non cœli ſidera, ſed cœleſtia myſteria, noſtræque redemptionis Sacramenta contemplantes? His adde (inquit D. Hieron.) quod nouimus de Sacerdotiſſis Veſtæ, Iunonis, Apollinis, Dianæ, Mineruæ &c. Quibus vt ad officia & ad altaria acceſſus daretur, altaria, inquam, adeo immunda, carnalia, ſcatentia ſceleribus perpetuæ votum debebant emittere virginitatis: *Virgines Veſtæ, & Appollinis, Iunoniſque Achiuæ & Dianæ, ac Mineruæ, quæ perpetua Sacerdotij virginitate marceſcunt* &c. Quid aget Sacerdos diuinæ ſapientiæ miniſter, quæ tam pura, tam eſt ſplendida, vt ipſa lux coram eo tenebreſcat, & fœda maculetur.

Ep. 110.

XII. Sacerdotiſſæ Deorum virginitate vſæ.

### §. 5. *Sacerdotes non alios filios habeant, quàm pauperes, qui in illis nidificent, vt cecinit David.*

13 ☞ ALia ſeſe offert ratio ex officio ſumpta, quod ſacri Canones aſſignant Eccleſiaſticis; quos parentes indigitant pauperum. Ea intentione ſtatuit illos in Eccleſia ſua Saluator noſter, vt pauperum ſint defenſores, ſuſtentatores, operibuſq; patres. Eleganter cecinit pſaltes regius ſtupendæ diuinæ opera prouidentiæ *Pſalm.* 103. inter cæteros longiore. Inter hæc vnum hoc expendit, nempe, cur tot tamque præcelſas Deus arbores produxerit in montibus, cedros in Libano, vt vertice cœlos tangere videantur. *Saturabuntur ligna campi, & Cedri Libani quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt.* Hebraice legimus: *Iehouah* proprium Dei nomen; ita D. Hieronymus, Symmachus, alijque prope omnes Græci: *ligna Domini*, vel *ligna Dei*. De illis loquitur arboribus agreſtibus, pinis, quercubus, cedris, populis, omnibus altioribus: Has dicit arbores Dei: nullus etenim alius illas plantauit, rigauitque operarius, quàm ipſe Deus. Qua igitur itentione procreauit tibi Dominus in altioribus montibus, tot arbores, adeo ſublimes, excelſas, coronatas in ſaltibus, ſyluis, montibus, alijſque partibus, quibus nec homines vtuntur.

II. Prouidet Deus arbores paſſeribus pro creatis.

Pſ. 103, 19.

tur, ſed nec eas quidem conſpiciunt? Reſpondet Dauid: vt in illis paſſeres nidificent. Tantam eorum curam habet Deus, vt teſte ipſa veritate: *Vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.* Vult, illis locus paretur, in quo nidificent, dormiant, ſecedant, & eſcas inueniant: eo animò produxit arbores: *Illic paſſeres nidificabunt.* Quid hoc? hiſne diuinus diſtenditur intellectus? dicere nobis liceret, quod de vobis quærit Apoſtolus: *Numquid de paſſeribus cura eſt Deo?* Hoc (monet te D. Auguſtin.) ad altius attolle diuinæ prouidentiæ myſterium: licet enim ipſe hoc magis exponat in communi, non erit tamen abſonum, ſi illud ad ſingulare reducamus. Quinam ſunt ligna Domini, niſi Eccleſiaſtici? Quinam altiores cedri, cœlos vertice contingentes, niſi Sacerdotes? Quot Archiepiſcopi, Epiſcopi graduati, canonici, beneficiarij, præbendati in his Eccleſiæ montibus? Quam bene ſaturi cœleſtibus, quos Dominus depluit, aquis? *Saturabuntur*, fructibus inquam, Eccleſiaſticis, quibus ad luxum abundant. Hic centum millibus, ille quinquaginta, hic decem, alter quatuor millibus, ille quinquaginta, hic decem, alter quatuor millibus annuis opulentus. Illos Dominus plantauit, decreuitque tantâ diuitiarum copiâ ditarentur. Frendent dentibus zoili hæretici, & vt porci grunniunt, vt canes allatrant contra præſulum, & Eccleſiaſticorum prouentus profuſiſſimos. Vah ſine cerebro capita. Numquid non Dei eſt arboribus cedriſque in Eccleſiæ monte proſpicere? Optima ratione cenſus hic habentur annui, & Dei præſcriptum eſt, illos habeant Epiſcopi, præſuleſque copioſos ad quid? in ſuæ conſeruationem auctoritatis, ac dignitatis: quo diuino poſſint cultui, maieſtate vacare celebriori.

Matt. c. 10. 29.

Pſa. 3. in gloſ.

II. Arbores excelſæ ſunt Eccleſiaſtici

III. Cur Eccleſiaſtici ſint diuites.

Singulariter tamen, vt paſſeribus ſint in hoſpitium: *Illic paſſeres nidificabunt.* Quos intelligis paſſeres (quærit D. Auguſt.) qui nihil habent vnde viuant, nec meſſem colligunt, niſi pauperes circumquaque vagabundos? O quo loco ſunt illi apud Deum, vt ſe eorum loco ſubſtituat, velitque in illis ipſum agnoſcamus: vnde & hanc perpetuam ſtatuit in Eccleſia regulam: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* In eum finem illos poſuit, vt eò diuertant, inueniantque pauperes defenſionem, pupillus patrem, inops puella, quo nubat, vidua, quo ſuſtentetur, & captiuus lytrum quô redimatur. Hic nidificent.

IV. Vtilant pauperes. Matt. c. 25. 40.

☞ 14 Omnibus incumbit beneficos eſſe pauperibus: ſed data opera, liberaliùs, & ex officio obſtringuntur Eccleſiaſtici. Proh quàm præclara illa ſummi Pontificis Eccleſiæ D. Petri verba, qui D. Ioanne comite, templum aſcendens, ad templi valuas proſtratum vidit claudũ ex vtero matris ſuæ: & confeſtim in illum oculos vterque conijcit: aitque: Chariſſime: *Reſpice in nos.* q. d. Scopus in quem ſuas habet indigus dirigere ſagittas ſupplicationum, locus, in quem oculos defigere debet ad ſui ſubſidium, Pontifex eſt, Epiſcopus, Eccleſiaſticus: illi namque ſunt, quibus conuenit primò oculos in mendicos dirigere, & in quos, ſuos indigus, acclamans: *Reſpice in nos.* Multi ſubibant templum, ibant & redibant multi, nec eorum vllus oculos in mendicum deflectebat: at ſummus Pontifex ipſe eſt, qui: *Intuens in eum*, claudum benignus aſpexit: qui namque principaliter tenentur pauperes intueri; prælati ſunt & Principes Eccleſiæ, illi ſint oportet, ſcopus primarius, in quem indigi colliment: *Reſpice in nos.* q. d. Noſipſi arbores ſumus, in quibus paſſeres nidificent, vnde, & quod habebant, largiebantur. Non illi argentum, aut aurum, ſed diuinam tribuebant virtutem: hanc tibi, (inquit D. Petrus) concedimus: manum extendit, & in pedes erexit incolumem. O ter maximum Eccleſiæ principem: hoc opus tibi proprium, extendere manum ad pauperem, & in pedes erigere ad pupillum, qui non habet quo confugiat, ad puellam ad vltimas redactam calamitates, ad infirmum grabato langueſcentem, pane deſtitutum, ad viduam mœrore conſumptam: quæ non habet quo honeſta procedat ad ſacrum exporrige manum, dic: *Surge & ambula.*

Act. c. 3. 4.

V. Eccleſiaſtici in pauperes, & pauperes reſpiciant in Eccleſiaſticos.

Hanc optimè intellexerunt omnes apoſtoli obligationem ex illo iam tempore, ſicut enim teſtatur D. Paul. quando & ipſum Paulum & Barnabam elegerunt, vt Gentilibus Dei verbum prædicarent, illiſque exponerent, illud quod ex animo commendabant officium, quod vnicè & principaliter commendabant, hoc erat: *Tantum vt pauperum memores eſſemus.* q. d. hanc vobis ſolummodo curam iniungimus, vt pauperum curam habeatis diligentem: de qua ſic Apoſtolus: *Quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere.* Videamus igitur quid Apoſtoli potuerint conferre pauperibus? Illi omnium quos mundus alebat, indigentiſſimi erant, domus non habebant, diuitijs non affluebant, non arua non vineas, non ſumaria poſſidebant, quam exigis ſolicitudinem pauperum ab ijs, qui extremâ laborant inopiâ? Nonne reſpondere potuiſſent: pauperibus pauperes, nemo nobis pauperior? Non abnuo: verumtamen, hoc illis intimarunt, ipſos eſſe Eccleſiæ princi-

VI. Prima cura Apoſtolorum erat de pauperibus.

Gala. c. 2. 10.

pes, pauperum patres: qui licet ipſi tenuiſſimi eſſent cenſus, pauperum tamen curam gerebant, non illis de ſuis tribuendo facultatibus, quas nullas habebant, ſed ab his & illis eleemoſynas in pauperum ſubſidium conquirendo.

VII. Si pauperes Apoſtoli, quãto magis diuites Eccleſiaſtici.

Hanc in D. Paulo laudabis ſollicitudinem ex collectis quas faciebat, fierique curabat, ex diligentia quâ ſedulò quærebat eleemoſynas pupillo pauperi, viduæ afflictæ, languentique deſolato. Hinc collige, ſi ipſi nullis opibus turgidi, ſibi conuenire iudicabant, illas pro Dei amore efflagitare, & in pauperum rogare ſubſidium, quàm non ſtricto ad id tenebuntur vinculo Epiſcopi, prælati, in dignitatibus conſtituti, ſuperiores eorum Eccleſiaſtici, diuitijs abundantes, erectæ in monte S. Libano cedri, arbores coronatæ, iure Diuino, Deiq; præſcripto pluribus cenſibus, fructibuſque ſaturatæ? Sunt illi ipſi quibus ſingulari nomine pauperes reſeruantur, illi qui oculos ſuos in mendicos deflectere conſtringuntur, quòd ſi coniugati eſſent, vxore, filijſque grauarentur, quid dandum pauperibus, quæſo, ſupereſſet? Cum proprijs abundarent filijs, in quos oculos conijcerent, qua dic mihi ratione, illos conijcerent in adoptiuos, quos illis Deus deſtinat, mendicos intelligo?

*L. 1. contr. Iouinia ad finem.*

Enucleat ſubtiliter D. Hieronymus argumentum Theophraſti, de expenſis matrimonij, & vel vt modicum totam eſſe facultatem, etiam magnam, qua ſtultæ mulieris ineptis ſatisfiat deſiderijs: cupit ſerica, aliia, polymita, gemmas, monilia, tunicas, theriſtra, & gaudet filo vnico pretium vnius appendere ciuitatis: *Nullus* (D. cito Baſilium) *muliebri concupiſcentiæ ſatis theſaurus.* Quis nouis indies ſatisfaciet ornatus, cultuſque inuentionibus? Expendit D. Cyprianus locum Iſaiæ, in quo grauiter & aculeatè perſtringit mulierum ornamenta, numeratque viginti duas ſpecies adeo ſingulares, vt vix eas dum legimus, quæ ſint intelligamus: Nec mireris: cum diebus ſingulis mundum immutent muliebrem, tot inuentionibus varium, vt eorum quæ heri geſtarunt, hodie non meminerint, ornamentorum. Quid de filijs commemorem, quas non opes abliguriunt? Quot prodigos lugent parentes, qui quidquid illis nocturno diurnoque cumulant labore, ſuis expendunt luxurijs gancones? Quas non diuitias, quæ non patrimonia ſuperbæ profligant adoleſcentulæ? Quid non dilapidant? Numquid non expenſæ, quas familia muliere, liberiſque grauida patitur, ſunt infinitæ? Ad hoc igitur ſtatuit Deus ſint Eccleſiaſtici facultatibus abundantes vt illas pauperibus elargiantur, nulloſque filios nouerint, niſi pauperes, in quos ſua deflectant lumina, liberales.

D. Baſil. *Hom. 7. in diteſcẽtes. To. 1.*

VIII. Inſatiabilia mulieris deſideria.

*L. de diſci. & hab. virg.*

**§. 6. *Inter Apoſtolos, ſolus Petrus vxorem habuit, at illam dimiſit, ſicut alij poſtmodum, quorum vxores dicebãtur Epiſcopæ & preſbyteræ.***

NVnc igitur nodum explicemus. Si hoc ita ſit, qua ratione habuerunt Apoſtoli vxores, pariterque Epiſcopi in primitiua Eccleſia? Dico primò; (reſpondet D. Hieronymus) quòd ex omnibus Apoſtolis, ſolus Petrus vxorem agnouerit: Illum ad Apoſtolatus dignitatem vocauit Chriſtus iam vxoratum, qualeſque elegit Apoſtolos, tales quoque conſeruauit. Licet autem mulieri cohabitauerit, illa non vt vxore, ad vſum matrimonij, ſed vt ſorore vtebatur. Huic quadrat quod pridem Apoſtolus dixerat: *Seruus vocatus es? Non ſit tibi cura, ſed & ſi potes fieri liber, magis vtere: qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini; ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti.* Per ſeruum hic coniugatum intelligit: quia ſubiectus eſt ſeruituti: hoc namque nomine à D. Paulo vocatur. Quando fidei nomen dediſti, eraſne coniugatus? Ne dimiſeris vxorem, & ad quid? ad vſum matrimonij? Nequaquam, ſed vtere illo matrimonij vinculo, vt mulierem ad fidem inducas Catholicam: hoc enim ſignificat: *Magis vtere. Si potes aliquam cauſam inuenire diſſidij, vt libertate perfruaris, noli ſalutem tuam cum alterius interitu quærere.* Sciat autem, qui talis eſt, quod libertus eſt Domini; qui Domino laborat. Ita Petrus egit, omnia namque relinquens, mulierem quoque quoad vſum matrimonij dimiſit, ſed vt illam Chriſto lucraretur, non dimiſit. De alio Apoſtolo, teſte Diuo Hieronymo, non probatur, quòd vxorem habuerit, quando à Saluatore fuit vocatus, nec legimus eum poſtmodum colla ſubiecisse matrimonio. Et hoc quoque credo. De D. namque Ioanne omnes nouimus, quòd à Chriſto virgo ſit electus, taliſque perpetuò remanſit puriſſimæ cultor virginitatis. Suadebat ipſa ratio, vt in Apoſtolatu vterque ille ſtatus honoraretur: *Quem fides Chriſti virginem repererat virgo permanſit, & ideo plus amatur à Domino, & recumbit ſuper pectus Ieſu, & quod Petrus, qui vxorem habebat, interrogare non audet, illum rogat vt interroget. Et poſt reſurrectionem nuntiante Maria,*

1. Cor. 7.

D. Hier. L. 1.

II.

*ria Magdalena, quod Dominus reſurrexiſſet, vterque cucurrit ad ſepulchrum, ſed ille præuenit. Cumque eſſent in naui, & piſcarentur in lacu Genezareth, Ieſus ſtabat in littore, nec ſciebant Apoſtoli, quem viderent, ſolus virgo virginem agnouit, & dicit Petro: Dominus eſt. Rurſus poſt auditam ſententiam, quod ab alio cingendus eſſet Petrus, & ducendus, quo nollet, & crucis ei fuiſſet paſſio prophetata, & illi diceret: Domine, quid iſte? nolens deſerere Ioannem, cum quo ſemper fuerat copulatus, dicit ei Dominus; ſic eum volo manere, quid ad te? Vnde & ſermo exijt inter fratres, diſcipulum illum non mori. Ex quo oſtenditur, virginitatem non mori.* Carnem etenim puram nulloque modo corruptam, facilè credimus, à vermibus non erodendam; citoque tranſijt hæc ad diſcipulos de virginitatis incorruptione credulitas; fuitque hæc virginitas tantæ ratio dilectionis. Proſequitur Diuus Hieronymus: *Et vt breui ſermone multa comprehendam, doceamque cuius priuilegij ſit Ioannes, imo in Ioanne virginitas à Domino virgine, mater virgo, virgini diſcipulo commendatur.* Ex quibus omnibus circumſtantijs liquidò patet, Ioannem fuiſſe virginem; de cuius fratre, Iacobo Maiore idem, teſtatur D. Epiphan. *a.* & de Iacobo Minore. *b.* quod D. Andreas vxorem non duxerit, probat Simon Metaphraſtes in vita D. Petri; ac de cæteris idem ſentit Tertulia. *c.* De D. Paulo confirmat ex profeſſo, & dilucidè D. Hier. *d.*

[Margin: D. Hier. — a Hær. 78. — b Hær. 78. — c l. de Monog. c. 8. — d Epiſt. 22 ad Euſtochium.]

Secundò, (replicat D. Hieron.) certum eſſe, certumque ſemper habitum in Eccleſia, quod D. Petrus, & ſi quis alius Apoſtolus habuerit vxorem, quàm primum Apoſtolatus munus ſuſceperunt, nuntium remiſerint vxoribus illaſque ſecum non vt vxores, ſed ſorores habuerint. Eadem ſit de alijs Epiſcopis ſententia, eademque fides. Pauci tum temporis inueniebantur Chriſtiani, requirebat neceſſitas Epiſcopos, huic muneri obeundo capaces quidam optimè litteris inſtructi, moribus inſignes, at vxorati, eſſe videbantur; hos ad Sacerdotij, & Epiſcopatus dignitatem eligebant, illa tamen cautione, vt viri non eſſent bigami: vt ex D. Paulo colligimus: *Epiſcopus ſit vnius vxoris vir*: bigamia namque, & frequentatio matrimoniorum in iure magnæ ſignum eſt incontinentiæ. Idque hoc inſuper modo, vt quam primum ad illam promouerentur dignitatem, votum emitterent caſtitatis, & continentiæ, vnde quoad thorum ſeparabantur ab vxoribus, quas ab illo tempore non vt tales habebant, nec affectu intuebantur matrimonij, ſed vt ſorores adamabant. Ex hac ratione, nedum licitum non erat eodem dormire lecto, ſed nec cubiculo, & communiter nec in eadem ſimul domo cohabitare.

[Margin: III. Vxorati facti Sacerdotes fratribus non vtebantur. — e 1. Tim. 3. — IV. Nec eodē lecto nec cubiculo vtebantur.]

Hinc aptiùs intelligemus, quales illæ fuerint mulieres, quas Sacri Canones, antiqua Concilia, Sanctique Patres vocant Epiſcopas, presbyteras, Diaconas, vel Diaconiſſas. Concilium Laodicenſe. *a.* Secundum Turonenſe. *b.* Antiſiodorenſe. *c.* D. Baſilius. *d.* D. Gregor. *e.* D. Athanaſ. *f.* illas ſcribunt Presbyteras. Concilium Turonenſe ſecundum. *g.* Epiſcopas nominat, & valde familiare, eſt illas vocare Diaconiſſas. Diuerſis ſacris Canonibus inhibetur, nullus poſſit Epiſcopus ſuæ cohabitare Epiſcopæ nec presbyteræ presbyter. Refert D. Gregor. de illo Sancto presbytero Vrſino Murcienſi: *Eo tempore ordinationis acceptæ presbyteram ſuam vt ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cauens, ad ſe propius accedere numquam ſinebat.* Vide Baronium. Fusè & acriter inuehitur D. Baſili in presbyterum Peragorium, ſuæ presbyteræ conuenientem: quia Sacri ſtatuere Canones, ſi quis Epiſcopus ſuæ cohabitaret Epiſcopæ excommunicatus deponatur. Quænam erant illæ? Licet diaconiſſæ vocentur mulieres, quibus dabatur facultas legendi quaſdam in Eccleſia lectiones, & presbyteræ, mulieres ſeniores, quæ erant velut Abbatiſſæ: nomen enim presbyteri, ſeniorem indicat: ſæpius tamen tales eſſe dicuntur, quæ virorum erant vxores, qui diaconi, Sacerdotes aut Epiſcopi conſecrabantur. Ita vt ſi quis coniugatus eligeretur in Epiſcopum (ſicut Romæ electum fuiſſe legimus D. Fabianum vxoratum in ſummum Pontificem,) eius vxor vocabatur Epiſcopa; ſi presbyteri conſecrarentur, dicebatur presbytera. Porro ſicut hoc certum eſt, ſic & illud multò certius, quòd tempore ſuæ conſecrationis, cœlibatum & continentiam ita ſacris cenſerent annexam ordinibus: vt cum iam non poſſet indiſſolubile ſolui vinculum matrimonij quoad ſui ſubſtantiam, quoad vſum tamen diſſoluebatur. Hæcque fuit perpetua Catholicæ praxis Eccleſiæ.

[Margin: a *Ca. vlt.* — b *c. 20.* — c *c. 21.* — d *Epiſt. 17 ad Peragorium.* — e *l. 4. dial. c. 11.* — f *l. ad virginem.* — g *c. 13. & 24.* — V. Quæ mulieres dicantur Epiſcopæ, presbyteræ, &c. — D. Greg. *L. 4. dialo. cit.* — *Baron. To. 1. anno Chriſti 34: c. 82.* — VI. Caſtitas annexa Sacris ordinibus.]

Nec eſt cur admiremur (inquit D. Hieron.) hoc ita in lege decretum Euangelica, cum idem tempore legis antiquæ in Moyſe videamus. Coniunctus erat Moyſes Sephoræ in matrimonio, filiæ Sacerdotis illuſtris Madianitæ, vixit egitque cum illâ multo tempore velut maritus cum vxore, genuit ex illa filios, ſed quam primum illum Dominus de miranda rubi viſione vocauit, elegitque, vt ſibi proprior adeſſet, & ageret cum eo familiarior, ita negotium cum vxore coniu-

[Margin: 16 — VII. Moyſes à Deo vocatus vxorem remiſit. — *L. cit.*]

coniugale ſepoſuit, vt deinceps, eam numquam tanquam vxorem agnouerit. Intellexit autem Moyſes (ex D. Hieron. ſententia) hoc ita à Domino decretum dum propius viſionem contemplanti, ait: *Solue calceamenta de pedibus tuis*, eo namque tempore, calceamenta deponere, ſignificabat mulieri dare libellum repudij: ita quoque ipſis Deus poſtmodum in lege explicatè diſpoſuit cernimuſque in hiſtoria Ruth ad amuſſim eſſe completum. Hoc dato, dum Deus Moyſi manndat, ſoluat de pedibus calceamentum, idem eſt, ac ſi dicat, renuntia vxori, non ex integro: quia non perfectè poterat remittere coniugem, cum qua matrimonium contraxerat ratum & conſummatum, atque ex qua ſuſceperat liberos ſed quantum ad vſum matrimonij; etenim quiſquis à Deo ſeligitur in Sacerdotem, & familiarem cum eo conuerſationem, ſuadet æquitas, vt cum vxore eam non habeat, ſed in toto & ex toto ſe Deo purum, caſtumque conſeruet: *Moyſes* (audi D. Hier.) *cum vidiſſet viſionem magnam & Angelum, ſiue Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, niſi ſoluiſſet corrigiam calceamenti ſui, & abieciſſet vincula nuptiarum.*

VIII. Quid ſit calceamenta deponere.
Exod. 3. 5.
D. Hier.

Nec hoc tanti, (idem iterum) iſtud à Domino Moyſi fuiſſe decretum quem amicum aſſumpſit & legiſlatorem, cum quo in cacumine montis, & tabernaculo ſecretius erat acturus, vt amicus cum amico: quandoquidem, dum populo præſcripſit ad radicè montis accederet, & ad eius decliuia reſideret, in cuius vertice cum Moyſe familiariùs loquebatur: mandauerit, vt ſe ad acceſſum illum omnes præpararent, quibuſdam ſeſe actibus ſanctificantes, præſertim auté: *Ne appropinquarent vxoribus ſuis: Nec mirum hoc de amico, & propheta, & legiſero Dei, cum omnis populus acceſſurus ad montem Sinai, & Dei auditurus eloquium, ſanctificari iuſſus ſit, & ſe ab vxoribus abſtinere.* Pro concluſione nota, quàm ſint quæ diximus rationi conſona, refert enim præfatus Doctor, etiam apud Ægyptios, qui Sacerdotum dignitatem ambiebant Deorumque ſuorum ſacra contingebant, nec non familiariùs cum illis agebant: dæmones licet fuerint; quam primum tamen huic ſeſe muneri accingebant, calceamenta deponebant, vxores manu mittebans, filios, delicias, negotia, contractus, & quidquid illis poterat eſſe diuerticulo: *Numquam ſe mulieribus miſcuerint, numquam cognatos, & propinquos, nec liberos, quidem viderunt ex eo tempore, quo cœpiſſent diuino altari deſeruire.* Hinc colligé. Quid Euangelico incumbat faciendum Sacerdoti, proinde nõ eſt quòd probandæ huic doctrinæ diutius immoremur, licet non foret incongruum, ipſos admonere Sacerdotes, grauemque illis obligationem ex eo probare, quod ad tantam euecti ſint dignitatem, tam ſublimibus conſecrari myſterijs tamque vicino & familiari cum Deo colloquio deſtinati.

IX. Populus ad montẽ accedens ab vxoribus abſtinet.
Exod. c. 19. 15.
D. Hier.
X. Ægypti Sacerdotes vxores ablegabant.

## §. 7. *Status Matrimonij ſanctus eſt: poteſtque matrimonio iunctus ſanctus euadere, vt Enoch, Noe, Abraham, Moyſes, &c.*

VXorem habebat D. Petrus, & ſocrum, imo filiam nomine Petronillam ex aliquorum opinione, vt refert D. Aug. *a.* & nec ipſe refellit eratque ſanctus. Hic velim aduertas, ex Chryſoſt. *b.* deſtructas, & repulſas multorum eſſe rationes: qui ſibi perſuadent, ſe perfectos eſſe non poſſe, ſi duxerint vxorem, liberoſque procreent; quòd nec puſillo tempore vacare valeant orationi; ſolitudini, nec vel vnam capere diſciplinam, nec vnam elargiri pauperibus eleemoſynam: hæcque eſt quotidiana & obuia excuſatio, quam obijciunt, qua prætendunt ſe ſolutos eſſe omnibus pietatis officijs, cunctiſque virtutum operibus. Quàm primùm (inquit D. Chryſoſt.) vos ad hæc exhortamur, in faciem nobis obijcitis. Domine, vxorem duxi, vel viro nupſi. Vt quid vel parumper non ſecedis ſolitarius, vt tuum D. Virgini euoluas roſarium, eiuſque myſteria contempleris? Vxorem duxi, non ſum ab vxore, non ſum à liberis liber, agant iſta religioſi. Cur ô Domina, non tuam mortificas carnem, duroque te flagro caſtigas? Nupſi viro: non meus permittit ſtatus: hæc ſpectant moniales. Vt quid tu Crœſe diues pauperi negas eleemoſynam? Familia eſt mihi multa nimis, nec eis alendæ ſufficiunt quantuis magnæ facultates, hoc munus Epiſcopis incumbit & dignitate primatijs. Quis igitur (quærit D. Chryſoſt.) hunc inſtituit ſtatum, eoue inſtituit animo, vt qui illum ſuſciperet, ſanctus non eſſet, ſed quibuſcumque pietatis liber exercitijs? Num fortè matrimonium opponitur ſanctitati? Vt autem te hoc errore liberet (inquit) proponit tibi ob oculos multos Spiritus S. vxoratos, qui non tali quali, ſed præcellenti fuerunt probi ſanctitate, vt etiam caput attollant inter eos, qui ſanctitate præfulſerunt. Sanctum contemplare Enoch iam ab ipſius mundi primordijs, noteſque velim, quale de ipſo Spiritus veritatis ſcribat teſtimonium:

a L. ... Alem...
b Serm. ...
I. Status coniugalis non obeſt perfectioni.
II. Multi in hoc ſtatu ... indigeni.

Viri

III. Enoch in coniugio cum Deo ambulauit. Gen. 5. 9. 21.

*Vixit Enoch ſexaginta quinque annis, & genuit Mathuſalam. Et ambulauit Enoch cum Deo: & vixit poſtquam genuit Mathuſalam trecentis annis & genuit filios & filias, &c. Ambulauitq; cum Deo & nō apparuit, quia tulit eū Deus.* Opinati sūt aliqui, hunc textum eſſe ſuperfluum, & quædam verba redundare, fruſtraque illa repeti, quibus dicitur, quod ambulauerit cum Deo. Enoch (inquit) ſexaginta quinque annorum genuit Mathuſalam, ambulauitque cum Deo, deinum trecentis annis genuit filios & filias; & ambulauit cum Deo, nec vltra viſus apparuit, tranſtulit enim Dominus eum in paradiſum. Quæ ratio cur bis repetatur: *Ambulauit cum Deo*: num forte cum Deo tranſlatus in paradiſum genuit filios & filias?

Notat hic D. Chryſoſtom. admirabile myſterium; quoties dicit, quòd genuit filios & filias, toties dicit quòd cum Deo ambulauerit, quodque totis illis, trecentis annis, quibus genuit filios & filias, ambulauerit cum Deo, quatenus intelligas, quod eſſe coniugatum, habere vxorem procreare filios, & filias, ſanctiſque rebus attendere coniugij, nullo ei fuerint obſtaculo, quo minus cum Deo perfectus ambularet. Cum Deo ambulare,

IV. Quid ſit, cum Deo eſſe ambulare. Hebr. 11.

phraſi S. Scripturæ præſertim hoc loco, notatore D. Paulo: idem eſt ac placere, gratificari, eſſe Deo familiarem. Sume metaphoram ex eo qui communiter ambulat cum Rege: hoc ipſum namque manifeſtat, quod ei placeat, quod eius ſit familiaris: iam enim aſſeruit Spiritus S. quod ipſa diſcimus experientia? *Numquid ambulabunt duo pariter niſi conuenerit eis?* Non eos congredi videbimus, qui conditione, natura, & voluntate diſſentiunt. Aduerte ergo ait Scriptura, Enoch inter amicos Dei fuiſſe ſummopere familiarem, eiuſque per omnia conuenientem voluntati. Vxorem tamen duxit, at non illud amicum Dei ab eius retraxit familiaritate vel minimum. Genuit Mathuſalam primogenitum ſuum, & in hoc ipſo ambulauit cum Deo, id eſt, Deo placuit, Dei perfecit voluntatem, eiuſque fuit ſanctitatis. Accreuit ei, filiorum, filiarumque numerus, quos trecentorum annorum tempore procreauit, ſed nec atomo quidem à diuino receſſit beneplacito, continuò cum Deo ambulauit, aſſiduus in oratione, ſurſum cor eius perpetuo ferebatur, fide viua, ſpe certa, charitate flagrans, enitens miſericordiâ, eaque quæ coniugis erant filiorum curans, nihilominus: *Cum Deo ambulauit*: hoc ipſo Deo ſatisfaciebat, nec eum turbabat ſollicitudo coniugij: quo minus cum Deo ageret familiariùs, orationi attentiùs

Amos. 3.

vacaret, cor in Deum ſurſum tolleret feruentiùs? Verè igitur (loquitur D. Chryſoſtomus) non D. CHRY. aliâ à noſtra natura diſcrepabat amici, carne & oſſibus, vt quique veſtrum veſtiebatur: *Audian viri & mulieres* (eius ſunt hæc verba) *& diſcant iuſti virtutem, nec putent nuptias in cauſa eſſe, quod quis Deo non placeat: nam idcirco S. Scriptura ſemel & iterum id ſignificauit dicens: genuit Mathuſalem & placuit Deo, & idem ingeminat, dicens: Et placuit poſtquam genuit ne quis arbitretur, virtutis obſtaculum eſſe coniugium: quia ſi ſobrij ſumus, neque educatio, neque coniugium, neque aliud quid nobis oberit, quo minus placeamus Deo: ecce enim hic eiuſdem naturæ eſt, quá & nos ſumus.*

O quantâ præfulſit Enoch ſanctitate? Qualis Dei fuit amicus? quàm perfectè ſecundū cor Dei factus? vt talis cum Deo ambulauit tranſlatus ab eo corpore & animâ in paradiſum, ab his enim ne vel minimum virum iuſtum carnale diſtraxit coniugium. Audiant hoc coniugati. Ne verò putetis hanc in Enoch finire perfectionem, vlterius S. pagina progreditur, aliumque enumerat pronepotem ſuum Noë. Qualis autem fuit vir

V. Noë coniugatus vir iuſtus & perfectus. Gen. 6. 9.

hic? Iunctus matrimonio. Num Dei virum à pietate matrimonij ſtatus abſtraxit? Non abſtraxit, imo ad pietatem ac iùs promouit: *Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, & cum Deo ambulauit, & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet.* Fuit Noë *vir*: vir fortis, animoſus, conſtans, nec ſolum vir, ſed & *Iuſtus*. Magnam habet hoc verbum emphaſim: vt enim Euangeliſta D. Matthæus Ioſephi ſponſi D. Virginis laudes celebraret, non alio vtitur encomio, quam: *Ioſeph vir eius, cum eſſet iuſtus.* Noë igitur conſtans iuſtus, iuſtitia præclarus ſingulari, ac nedum iuſtus, ſed iuſtitia perfecta laudabilis: *Vir iuſtus atque perfectus*; talem cum indicat, qui illum deſcripſit, ſpiritus veritatis. Qualis igitur erat qui coram Deo, tam iuſtus tamq; erat perfectus? Numquid Noë eremi cultor, num anachorita, num deſerta petens vt talis euaderet, ſicut Baptiſta? Minime, vxorem habuit: in hoc vixit ille ſtatu, &: *Fuit perfectus in generationibus ſuis.* Hoc eſt, in illo ſtatu, in quo tunc viuebant homines, nimirum coniugali in quo totus intenditur animus filijs procreandis; & in hoc ipſo Deo placuit & tam complete in omnibus ſeruiuit vt per illum Deus reſeruarit mundo pereunti ſeminarium: ex quo diſcas non eſſe vxorato impoſſibile colere ſanctitatem, operibuſque Deo placentibus inceſſanter incumbere.

Matt. 1. 19.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VI. Abraham multigamus ambulauit corã Deo. *Gen. c. 17. 1.*

Deſcendamus ad Abraham, & ipſe ſociatus vxori, nec vni ſed ex Dei præſcripto pluribus, & perpende, quæſo, quod eum nec à pietate, nec à culmine perfectionis, nec à Dei mandatis: (dum illi ait: *Ambula coram me, & eſto perfectus*) coniugum retardarit importuna multitudo. Hoccine, Domine quæris à viro tot vxoribus, filijſque diſtracto? Vnica me detinet (inquis) vt ne vnicum dicam: *Pater noſter*, recollectus, vnicus mihi filius cordis optatam turbat quietem, vnica me filia perpetuis fatigat diſcola vigilijs. Hoc vobis (inquit D. Chryſoſtom.) imputandum à veſtra parte non à ſtatu peccatum eſt: non enim hic impoſſibilem reddidit, Abraham orationem indefeſſam, non feruentem adeo charitatem, vt obuius occurreret in vias æſtuante ſole: peregrinos indagans; non impoſſibilem tantam Deo obedientiam, vt ſi ad eius perfectam impletionem, expediret proprium immolari filium, ipſe parens carnifex Deo filium immolaſſet.

Eius perfectionis inſtiterunt veſtigijs Iſaac filius; Nepoſque Iacob, qui tanto mulierum, filiorum, nepotumque tumultibus occupatus, noctes nouerat integras feruentibus impendere colloquijs, cum ipſo Deo colluctatus. Tam integro hi omnes perfectoque corde Deo ſeruierunt, vt ipſe voluerit, totus orbis cognoſceret, illos ſibi amicos eſſe quam maximos, quoſque ipſo cœlo ſoloque ſibi chariores pluris æſtimaret: quocirca, qui ſe ſupremum cœli terræque iactat Dominum hoc voluit deinceps vocari nomine: *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Vt notat Apoſtolus: *Non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Quod ſi pedem protuleris, occurres Iob, Moyſi, Aaron, Dauid, Tobiæ, pluribuſque alijs: qui vnote ore docebunt, non ſtatui adſcribendum, non culpandum matrimonium, ſed tuam arguendam eſſe ſocordiam, tuæ imputandum negligentiæ, quo minus in matrimonio Deo placeas, coram Deo vir iuſtus atque perfectus ambules in generationibus tuis.

VII. Cur Deus dicatur Deus Abraham, &c.

*Hebræ. c. 11. 16.*

☞ 18 *Ho. cit. de nuptijs. T. 5*

VIII. Opponũtur coniugati virginibus.

Ad veritatis huius confirmationem, compone, iuxta D. Chryſoſt. coniugatos & virgines quos nobis S. proponit Scriptura, & patebit, quod licet ex fide Catholica credamus ſtatum virginum & continentium mille nominibus ſtatum præcedere coniugalem; attamen, quoad ipſas perſonas, inuenies, ex ſtatu coniugali plures, non inferioris fuiſſe ſanctitatis & perfectionis, quam illi qui in ſtatu virginali cæteris virtute præceſſerunt. In lege pauci fuerunt virgines, attamen morum probitate excelluerunt. Elias virgo fuit puriſſimus, & apertè conſtat quam in iſto ſtatu fuerit expeditus, & ad orationis ſtudium præparatus, ſic vt cum Deo facie ad faciem loqueretur, quandoquidem lingua eius clauis fuerit cœli, indeque ter ignem detraxerit in terram, nec non caro eius adeò in ſpiritum transformata, vt animâ & corpore curru igneo raperetur in paradiſum æternitatis candidatus. Grande miraculum, inuiſumque ſpectaculum. Huic vni ſtatus virginalis duos oppono non inferioris illo ſanctitatis in ſtatu coniugali. Primus ſit Enoch: Vxoratus fuit, & multa prole fœcundus, nihilominus tantus orationis cultor, vt ſemper cum Deo conuerſaretur, carnemque ſuam ita mortificaret, vt ipſe ſimiliter animâ & corpore tranſlatus ſit vt Elias in paradiſum. Alter fuit Moyſes. Quid rerum magni patrauit Elias (quærit D. Chryſoſt.) quod Moyſes non patrauerit coniugatus? Si Elias quadrageſimam ieiunus vno tractu celebrauit, Moyſes tres celebraſſe legitur. Si meruerit Elias vel ſemel montem Dei Horeb ſublimis aſcendere, de cœleſtibus cum Deo, acturus myſterijs: Moyſi frequens hoc erat, ſic vt amicus cum amico cum Deo ageret, tantoque lumine coruſcabat, vt ad vallem deſcendens, nullus eſſet oculus, qui ad tantam non caligaret claritatem. Si Elias zeloſus legis prædicator, eiuſdem eſt Moyſes legiſlator cuius & manibus Deus lapideis illam inſcripſit tabulis numquam eradendam. Si Elias de ſurſum ignem detraxit: mirare Moyſen manna, cibum Angelorum de ſupernis impetrantem. Si Elias aquas ad oris ſui verbum fecit deſcendere, habes Moyſen coturnicum pluuiam, & de petra gurgites aquarum educentem. Si Elias per aera, Moyſes per maria inceſſit. *Vidiſti Eliam nauigare in aere, vidiſti Moyſen in mari viatorem.*

IX. Moyſes Elias conferunt.

Et alios quoque binos compara prophetas certe præcellentes; Hieremiam & Iſaiam. Virgo fuit caſtiſſimus Hieremias in matris vtero ſanctificatus, cui Deus ipſe mandauit; ne duceret vxorem. Iſaias Vxorem duxit, Deique præcepto morigerus nuptias celebrauit, filium generauit nomine Iaſub, vt eius veridica teſtatur prophetia. Perpende num minoris meriti Iſaias vxoratus, quam virgo Hieremias. Exaltatus eſt ſupra modum cœleſtibus à Deo viſionibus Hieremias: at in quo minor Iſaias, cui dicere licuit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum &c. & plena erat terra &c.* de quo D. Chryſoſtom. Alium conſidera virginem Danielem prophetam, cui Deus in virginitatis prœmium, hoc conceſſit, vt viſionum cœleſtium haberet intelligentiam,

X. Iſaias Hieremias compar. Hier. 1.

D. Chryſ. Hom. 4. in illud. Vidi Dominum.

agere-

XI. Quare Noë & Iob con- iunxit. agereque cum Angelis: ilico occurrent tibi duo illi à Deo conſtituti collaterales, Noë & Iob, quem non ſemel ſed ſecundo pariter illos inter conſtituit velut inter ſibi, maxime familiares, quique non minima apud Deum vigeant auctoritate. Quocirca rem exaggerans ait per Ezechielem dum quoſdam vult reprehendere, quod licet pro eis amici illi ſui tres intercederent, haud quaquam eorum delictis ignoſceret:
Ezech. 14. 14. *Si fuerint tres viri iſti in medio eius Noe Daniel & Iob*, non parcam delinquentibus. Expendi poſſet argumentum ex doctrina D. Augustini *a*. quam exponit probatque D. Thom. *b*. Tantum meruit Abraham, Deoque gratus fuit vxorem ducens, quantum D. Ioannes Euangeliſta, virgo permanens caſtiſſimus: non quod æquipararet ſtatui virginali coniugalem: ille namque millenis hunc præcurrit prærogatiuis, ſed ob cordis affectum Abraham; vt D. Thomam ſubtiliter explicat eius commentator Cardinalis Caietan. ad quem lectorem remittimus ſtudioſum.

*a* l. de bono coniug. [illegible]
*b* 2. 2. q. [illegible] a. 4.

§. 8. *Agat coniugatus id quod præcipit Apoſtolus, videatq́; quid egerit Noe.*

1. Timot. 2. SIt igitur concluſio, perfectum eſſe poſſe, Deoque hoc in ſtatu non parum placere, coniugatum, ſi conſilijs obediat Apoſtolicis: *Saluabitur per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & caſtitate.* Sic ex græco legitur. Verba notate ſingula. Saluabitur vxoratus per filiorum generationem: hic etenim actus ſanctus eſt & meritorius, ſi debito fiat modo, cum fide, Dei dilectione & caſtitate: *Si permanſerit in fide, & dilectione & caſtitate.* *In caſtitate*, non pecudum more frœna laxando cupiditatibus, ſolum ſenſualem intendendo voluptatem, hoc enim, potius adeo peruerſum eſt, vt ſicut Angelus Tobiæ declarauit in tales plenam diabolus arripiat poteſtatem: & quia huic tantum libidini ſtudebant illi ſeptem adoleſcentes, qui ſucceſſiuè caſtiſſimam illam puellam Saram in coniugem aſſumpſerant, & omnes diabolus morte deteſtabili præfocauit: *In dilectione*: ſemper Dei gloriam deſiderando, eos ea intentione filios procreando vt ſint qui Deo fideles ſeruiãt, in quibus ipſe glorificetur, eius cognitio dilatetur, cultuſque ſacer amplificetur: *In fide*, illa credens quæ fides docet, nempe matrimonium inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta numerari, à Chriſto Domino inſtitutum, quo ſuam ipſe gratiam elargitur. Eſt autem Sacramentum inuiſibilis gratiæ ſignum viſibile: quid ſacri matrimonio deſignatur? Vnio Chriſti cum Eccleſia. Chriſtus Dominus ſponſus eſt cœleſtis, Eccleſia diuina Chriſti ſponſa ſit autem hæc vnio, vt filij cœlo generentur, nempe fideles, qui per baptiſma generantur, ex confirmatione confirmantur, Euchariſtico cibo ſuſtentantur, ſanantur que pœnitentiâ.

I. Qualiter ſit viuendum in matrimonio.

Tob. 6.

II. Vir Chriſtum referat, vxor Eccleſiam. En tibi, ô coniugate, qualiter ſit in fide viuendum, prudenter attendat, quod nequaquam ex tua imaginatione, ſed te Deus huic ſtatui deſtinarit, vt ipſam Chriſti referas perſonam, piè, caſtèque tuam diligens vxorem, vt Chriſtus Eccleſiam: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Qui illam ea dilexit intentione, vt puram mundamque redderet illam vt caput gubernans; ſanctis legibus, diuiniſque conſilijs ſollicitus, vt filij eius omni fulgeant ſanctitate, filijque Dei eſſe videantur. Vtinam hæc attento conſiderares animo, & ſecundum hæc in illo ſtatu viueres, eo modo, vt filij magis Dei eſſe, quàm tui viderentur, vt tu tuique filij ſic orare poſſitis: *Pater noſter, qui es in cœlis.* O viro deſponſata, ſi hac tibi fide præualeres, & mente reuolueres ſedula, figuram te referre Eccleſiæ, cuius hæc vnica cura ſtudiumque eſt quâ ratione ſponſo deſeruiat redemptori, tuoſque laborares filios pijs admonitionibus, ſanctiſque legibus enutrire, velut ſancta ſuos mater Eccleſia. Si tu coniugate, vel paruo te tempore ſemotis familiæ negotijs, ſicut illis valedicis, quoties libuerit, vt amico ſuccurras, tuiſque vaces delicijs, ſedulæ impenderes orationi. Si ſermones tui in domo de rebus eſſent ſanctis, ſi diebus ſingulis vitam prælegeres alicuius ſancti, vel Fr. Ludouicum Granatenſem. Si ſollicitus incumberes, vt filij tui Deo ſeruirent, peccata confeſſione eluerent ſacramque dignè ſumerent Euchariſtiam.

Ephes. 5. 25.

D. Chry. Ho. 22. & 30. in Gen. To. 1. Obijcies (inquit D. Chryſoſt.) tempus mihi non ſufficit orationi, nequeo ſecedere ad angulum ſolitarius, hoc meo repugnat ſtatui qui religionem non ſum profeſſus, nec cucullum indui. Heu te male fortunatum, audi D. Chryſoſt. *Nequaquam frigida illa verba proferas: Mundanus ſum, mulierem habeo, puerorum curam gero: nunquid monachus ego ſum? Quid dicis ô homo? ad ſoloſne monachos pertinet, vt Deo placeant.* Forte Redemptor noſter ſolis præcepit Monachis, orationi vacarent, animæque ſolitudini? Iacob intuere, in oratione pernoctantem. Abraham conſidera, quam apertas habeat aures, vt voci diuinæ reſpondeat, quam vigiles oculos,

III. Rationes in contrarium refelluntur aliorum exemplis.

 quibus

quibus cœli ſtellas intueatur. Iob admirare, qui cum Rex imperaret, filijs filiabuſque pater gloriaretur, ſe tamen quotidie ſubtrahebat, hoſtiamque pro ſingulis pacificam & holocauſtum offerebat, cuius etiam, domus pauperum erat hoſpitale gratiſſimum. Dauid Regem ne inconſideratè prætereas, qui tot curis tot exercitibus circumſtipatus, medijs tamen noctibus de ſtrato ſurgebat alacer, panem cinere commiſcebat potumque lacrymis temperabat. Nec omittenda (ſuadet D. Chryſoſtom.) Mater ſeptem fratrum Machabæorum, quam parum illam tanta filiorum turba diſtraxerit: cum ipſa ſollicitudo, eos ad vitæ perfectionem permouendi, ipſam redderet perfectiorem, cuius hoc erat primum ſtudium, vt Dei potius quàm ſui, filij eſſe viderētur.

*Ho. 4. in illud Vidi Dominum*

☞ 20 Quantò fortiùs (vrget D. Chryſoſtom.) cum nec tantum exigatur; quia, licet verum ſit, quod de quorundam perfectione coniugatorum diximus, heroicum tamen fuit & omnino ſingulare, atque extra curſum ordinarium, à Deo præſtitutum, in eum finem, vt liquido pateat, quid homo diuinâ diues gratiâ in quolibet ſtatu poſſit efficere, ſed non hoc ab omnibus expetitur coniugatis: notum quippe eſt, quod moraliter loquendo millenis obruantur in via perfectionis obſtaculis, vnde nec omnia à te quis expoſtulat, ac inter nihil & multum, interfluit medium, ſcilicet, aliquid. Eius (inquit) recordare, quod Dauid in ſpiritu regnum viderit, id eſt, Sanctam Eccleſiam, Dei ſponſam varietate circumamictam: *Aſtitit regina*, &c. *circumdatata varietate*. Quando tunica polymito texitur opere, gemmis, lapidibus, auroque interiectis; quidquid in ea eſt, bonum eſt, non eiuſdem licet pretij. Sic de ſtatibus, iudica diuerſis Eccleſiæ: boni ſunt omnes & meritorij licet non æqualis perfectionis. In hoc ædificio eſſe conuenit, ſicut in templo, aurum, argentum, lapides pretioſos, ferrum, plumbum, paleam: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, &c.* inquit Apoſtolus. Si fieri non poſſis adamas pretioſus, ſis ſaltem vel ſmaragdus. Non aurum, ſis argentum: *Non potes eſſe pretioſus lapis? eſto aurum. Non potes eſſe aurum? eſto argentum, ſolum perſiſte in fundamento.* Eccleſia cœlo comparatur; in cœlo non æquales ſunt omnes ſtellæ magnitudine, & claritate. De hoc audi Apoſtolum: *Alia claritas ſolis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Non potes eſſe ſol? eſto ſtella. Non potes eſſe quadam eximia, & perilluſtris ſtella? eſto vna de minoribus,*

*Ho. in illud Adſtitit regina.*

IV. Varij ſūt ſtatus Eccleſiæ, & omnes boni.

*Pſ. 44 10.*

*1. Cor. c. 3. 12.*

D. Chry.

V. Ad aliquē ſaltē perfectionis gradum aduitendum.

*1. Cor. c. 15. 41.*

*tantum ſis in cœlo.* Orare non potes ea mentis quietudine, qua anachorita? Secede puſillum vt beata Anna mater, Samuelis, cum lacrymis precaturus. Dies noctibus annectere non vades in precibus cum D. Antonio? Saltem ad horam cum D. Ludouico Rege Franciæ ſecede ſolitarius ad oratorium. Si quo tempore matrimonium non erat inſtitutum Sacramentum, nec gratiam conferebat, potuerint ad culmen ſanctitatis aſcendere coniugati, quantò ampliùs modò, dum adeo excellens eſt Sacramentum, tribuit gratiam, animamque ſanctificat? Vtinam hæc animò reuolueres conſtanſque hac in fide permaneres? *Si permanſerit in fide.*

Prædicta verba Spiritus S. de Noë: *Noe vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit*, condemnant apertè ſub lege Euangelica coniugatos. Quid inſinuat: *Vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis?* Quidam interpretantur, in ſuo tempore: vt more noſtro loquimur. Talis inter ſui temporis viros excelluit: itaque legunt: *Suo ſæculo*, cum D. Chryſoſtomo. *Non dicit ſimpliciter perfectum, ſed vt in illa ætate, & quod tunc perfectum erat, imperfectum factum eſt, tempore præcedente.* Gloſſa interlinearis explicat, quod indicet: perfectionem Noe quibuſdam fuiſſe imperfectionibus obſcuratam, perfectionem hominis fuiſſe mortalis, quæ quibuſdam maculatur imperfectionibus. Hanc doctrinam ſubtiliter expendit D. Hieronymus. *a.* Lyra. *b.* opinatur, hæc dici in viri electi præconium, quod in generationibus illis fuerit perfectus, peruerſorum, inquam, peccatorum; & præclarioris eſt ſanctitatis indicium (audio D. Gregor. dicentem) inter malos bonum extitiſſe. Cenſent alij, ſignificari, ſtatum Noë talem fuiſſe, qualis erat ea tempeſtate, nempe matrimonij: q. d. perfectus, iuſtuſque in illo præluxit ſtatu, qui in illo ſæculo vigebat, quò caſta non permittebatur virginitas.

VI. Quid ſit quod Noe perfectus fuerit in generatione ſua.

*Gen. c. 6.*

*D. Chry.*

*L. de virg. c. 1.*

*In cap. 6. Gen.*

*a Ep. 46. ad Creſp. homin. & l. 1. contra Pelagia.*

*b In c. 6. Gen.*

*lib. 1. Mora. c. 1.*

Qualis, precor, erat ille ſtatus? bonus erat (reſpondet Diuus Chryſoſtomus) quandoquidem illum Deus inſtituerit in paradiſo, ſed ſacramentum non erat, quod gratiam aut aliquid ſpirituale conferret, ſed non niſi contractus corporalis ac naturalis: in illo nihilominus Noë perquam iuſtus & perfectus fuit, iuxta Dei voluntatem pius, quique illi per omnia placeret: quid modo facere poterit aut vxoratus, aut viro nupta: cum eorum ſtatus ſacramentum ſit, gratiam conferat, tantumque

*Ho. 22. in Gen.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cunque ſpiritualitatis habeat, vt tu coniugate Chriſtum, tu coniugata repræſentes Eccleſiam? Qua non maiori tu gaudes ad orationem opportunitate, Deoque placendi occaſione? Quàm tibi ſunt ad manum Eccleſiæ confeſſarij, Sacramenta? Quis tibi remotam iniicit, vt Apoſtolicis non pareas conſilijs? & vel paruam tribuas moram orationi? Noë illa vir tempeſtate, qua matrimonium vim non habebat Sacramenti, populo cohabitabat dæmoniaco, ſine templis, ſine communibus altaribus, nullo præuio virtutum exemplo; tempus tamen inuenit ſibi commodum, orationi, pietati, cordis ſolitudini, ex toto corde Domino ſeruiendi, hoc verò tu tempore, quo eadem facias, nullam inuenis opportunitatem? Ne culpam ſtatui, ſed tuæ ſocors imputes malitiæ. Petrus vxorem accepit, ſed & ſanctus, ſanctaque fuit eius mulier. Credit Simeon Metaphraſtes in vita S. Petri, quod fuerit conſobrina D. Barnabæ eius fatriâ nomine Ariſtobuli, filia, vocabulo Perpetua. D. Clemens Alex. arbitratur eam martyrem, quodque vt D. Petrus, eam conſpexit martyrio coronari gauiſus ſit non modicum, illique hoc ſuggeſſerit: *Heus tu, memento Domini*. Soror amantiſſima, memento Domini. Eidem ſubſcribit Euſeb. *a*. Affirmant illi filiam natam S. Petronillam, quod D. Auguſt. *b*. licet non affirmet, non tamen negat: Coniugati perfecti omnes, parentes, filij, quia tales eſſe omnibus eſt poſſibile.

## §9. Egreſſus de ſynagoga. *Chriſtus egreditur de ſynagoga, Petrique domum ingreditur, ſcilicet Eccleſiam, domum ſalutis.*

11 *EGreſſus Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis.* Ad bolidem hæc ita congruente verba cadunt, quibus exponamus, id quod Dei filius egit, vt in illis SS. Patres mirabilem omnino fundent allegoriam. Legerunt omnes illud Salomonis: *Sapientia ædificauit ſibi domum* &c. De Salomone memorat Spiritus S. quod domum habuerit in Hieruſalem, regia dignum maieſtate palatium; at aliam extruxit in ſaltu, recreationis, venationis, voluptatis ergo, quam inſcribit: *Domum Saltus Libani.* Quæ licet domus eſſet in ipſis extructa montibus, deſertiſque ſaltibus, tantis nihilominus placebat iucunda prærogatiuis, vt eam data operâ Spiritus S. deſcripſerit. Et eo ipſo nobis intimauit, quòd illam non deſcriberet eius tantummodo gratia: quia hoc minoris erat momenti, ſed eius gratia, quod figurabat: hoc eſt: Per magnus ille Salomon quo maior nullus, filius Dei, domum ab æterno colebat regiam, diuinæ ſuæ perſonæ celſitudini atque maieſtati condignam, ſinum ſcilicet Patris. In eo illum conſiderat, qui ait: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* O qualis illa domus æterna, diuinis plena diuitijs, omnipotentia, ſupremaque magnitudine venerabilis: verumtamen & aliam extruere decreuit domum deliciarum in huius mundi ſaltu, vbi cum hominibus deambularet, hanc quippe ſuam declarabat eſſe voluptatem, dum ait: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Hæc Synagoga fuit, vetus ſua Eccleſia, quam in populo fundauit Hebraico: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius.* Ibi ſeipſum ſtatuit, ſub propitiatorij, & Sancti Sanctorum arcæque ſymbolo: *Factus eſt in pace locus eius, habitatio eius in Sion.* Illud *in pace* ſignat Hieruſalem, id eſt: *Viſio pacis.* Hanc elegit ſibi domum, hic ſuam conſtruxit habitationem. Hic autem accidit, quod quod ipſe per Ezechielem, dum eſſet in Babylonia captiuus, præoſtenderat. Vatem alloquitur: Vates, ſtat animo domum hanc deſerere, alio migrare. Quæ ratio Domine? hanc tibi ſignificabo. Manu prophetam apprehendit, & per aëra ſublimem ſiſtit in Hieruſalem, hic locus erat templi, domuſque Dei. Fode (inquit) parietem domus huius ô propheta, perfodit Vates parietem, videtque circumcirca bufones, colubros, lacertos, ſerpentes, nec non ſeptuagenta ſeniores, viroſque primarios ex Iſrael, tenentes thuribula in manibus, è quibus fumus aſcendebat denſiſſimus. Quid tibi videtur, ô propheta? num locum hunc dignum eſſe iudicas, quem ego præſens inhabitem? num me decet tales tantoſque inter ſerpentes commorari? Feramne ego non moleſtè, quòd fumum meis effundant naribus & vt vulpem habeant quem fumo palearum agitant, vt hoc me expellant latibulo? *Vides tu, quid iſti faciunt abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hic, vt procul recedam à ſanctuario meo.* Quid cenſes, num mihi diutius hic demorandum, an non potius citius procul abſcedendum?

Hoc Dei filio contigit. Quanta venit maieſtate ſplendidus, vt in domo requieſceret Synagogæ: facta ſed erat ſpelunca latronum, ferarum latibulum, vitiorum omnium ſpecus, auaritiæ, inuidiæ hypocriſis, odij, rancoris, vindictæ &c. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, qui intus pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Quis nidor de voluntatis eorum aſcendit thuribulo, iniqui amoris ſui & concupiſcentiæ ardebat ignis, cuius fumo ſplendidiſſimam Chriſti gloriam tenebris obfuſcarent denſiſſimis;

Marginalia: VIII. — I. Duas habuit domus filius Dei. Ioan. c. 1. 18. — II. Prima, patris cœleſtis ſinus, ſecunda, Iudæorũ Synogoga. Prou. c. 8. 31. — III. Hanc deſeruit. — Ezech. 8. 6. — Matt. 23. 28.

quibus detractionibus, quibus murmurationibus, quibus eum calumnijs vellicabant. Modus eſt loquendi; fumum hic naribus meis offundit, vt

IV. Chriſtus irritatus Iudæos deſerit.

longiùs à domo ſua diſcedam, quando trucem tibi faciem oſtendit, & amariùs excipit. Vide, obſecro, quo vultu, quo honore excipiant Scribæ Redemptorem. Porro quid aget? *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Ego procul abſcedo, ego domum ſine Deo deſeram, ſine fide, ſine diuino ſubſidio deſolatam. Idcirco (teſtatur D. Hieron.) exſpirante in cruce Domino, templi velum ſciſſum eſt medium à ſummo vſque deorſum, quaſi quis viam aperiat illi qui captiuus, latenſque illic abſcondebatur, vt liber foras egrediatur. Refert etiam quod ex Ioſepho, & Egeſippo ſcripſerat, qui coæuus vixit Apoſtolorum temporibus: audita fuiſſe hæc verba dicentium: *Tranſeamus ex his ſedibus.* Hoc deſeramus ſanctuarium, domum hanc fugiamus, hunc habitationis noſtræ locum. Huius autem occaſione ſubiungit D. Hieron. in Euangelio Hebraico, vbi nos legimus: *Velum templi ſciſſum eſt medium*, legi, cecidit ſuperliminare ex templi porta: horribile certè ſpectaculum, quo ſignabatur, quòd amodo templum illud deſerendum eſſet, velut ſine porta ſtabulum, ex illo iam egreſſo, qui illud incolebat, cœleſti habitatore.

*Mat. 23. 38.*
*Epiſt. ad Hedibian. q. 8.*
V. Quid ſignificet veli ſciſſio.
*L. 5. de excidio Hieruſal. cap 44.*
*Luc. 23.*

☞ 22
VI. Eccleſia domus Petri, domus eſt ſalutis.

Quid ergo Domine, ſi Synagogæ domo recedas, num in mundo ſine domo extorris ſub dio remanebis? Nequaquam: eſt hic Petri domus, Eccleſiæ figura Catholicæ & Chriſtianæ, quæ Petri domus nominatur, ipſe namque petra fuit fundamentalis, ipſe eiuſdem paterfamilias: hanc introiuit, hic ex propoſito reſedit, quaſi in hac Petri domo: hanc namque ingrediens, domum reddidit ſalutis: ſocrum enim, eius ab ægritudine liberauit, ad quem pariter continuo confluunt omnigeni infirmi, & quotquot intrabant, curabantur: etenim domus Petri quæ eſt S. Eccleſia, domus eſt, in qua tanta viget ſalus, vt nulla ſit infirmitas adeo grauis vel deſperata, quæ ſalutarem hic non inueniat efficacemque medicinam: Hæc ea eſt, de qua vates prædixit Zacharias: *Erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui.* Hic ſalutis erexit cornu tam efficax, tam potens, vt vires habeat, etiam mortuos per peccata, reſuſcitandi: hic cæli claues reſeruantur, è quibus omnis progreditur ſalus, quam & hic Chriſtus tribuebat accurrentibus, quia: *Extra Eccleſiam non eſt ſalus.*

*Luc. 1. 16.*

Vitæ remedium nullum inuenit in Hiericho, qui ad domum non confugit Rahab (teſtatur D. Cyprian.) hic enim funiculus appenditur de feneſtra coccineus, ſalutis ſignum, ſymbolum ſecuritatis: eſtque tam effuſa hic ſalus, ſuntque remedia tam ſecura & efficacia, imo facilia, vt admiretur ipſe Hieremias, eſſe languentem aliquem, aut vulneribus ſaucium, qui ſalutem non aſſequatur: *Numquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Languentne infirmi? qua ex cauſa? Numquid in domo ſalutis, ſalutis deficiunt medicamina? Num forſan abeſt, qui applicet illa, medicus? Si princeps apothecam erigeret in ciuitate peſte laborante, cunctis adeo affluentem remedijs, vt illam repleret, ijſque tam præſentibus vt momento temporis luem curarent etiam maximè contagioſam: deinde ciuitati de tot proſpiceret medicis: vt quilibet infirmus, qui tantummodo vellet propiùs accedere, remedium haberet præſentiſſimum, an non admirationem adferret non minimam, ſi quis interire videretur! Credamne fieri poſſe, ô mortalium infauſtiſſime, te tua culpa emori, tabe te languescere contagioſa, qui paratam ad manum habeas ſalutem, efficaxque remedium? O ſupreme cœlorum princeps, mundique rector Chriſte Saluator, qualem in hoc mundo ſalutis erexiſti apothecam domum ſcilicet Petri, quæ ſacramenta, vaſa ſalutis? Quam doctrinam? Quas indulgentias? Quæ ſubſidia? Quot medicos? Quot confeſſarios? Quot miniſtros? Quot prædicatores? Quis ſibi perſuadeat, mortuum iacere Chriſtianum, qui poſt primam, quam peccatum infligit mortem, ſecundam æternæ ſuæ præſtoletur damnationis? Quis capiat te tabe confici languidum adulterij, vel odij, vel furti, tuæque ambitionis? Cur non curaris, non ſanus exurgis de ſtrato, non ſaluaris? *Numquid non eſt reſina &c?*

L. De vnit. Eccleſ.
Hiere. 8. 22.
VII. Simile.
VIII. Chriſtus abundanter prouidit Eccleſiæ de ſalutis remedijs.

## §. 10. Socrus autem Simonis tenebatur.

*Nulla ſine defectibus congregatio, nec ſcandalizeris ex ſanctorum quibuſdam defectibus.*

Licet autem Simonis domus, domus ſit ſalutis, in ſocru tamen eius exardeſcunt febres vehementiùs: nec mireris in domo ſalutis languentem inueniri: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Multi Sanctorum Patrum ſenſum hic adducunt allegoricum. D. Pet. Chryſol.

Socrum Simonis febrientem Synagogam interpretatur: ei ſubſcribit Emiſſenus aut auctor, cuius ſunt Homiliæ, quæ eius nomine circumferuntur. Confirmant autem, ex eo quod mulier Sanctique Petri ſponſa, Eccleſia, quam illi Chriſtus deſponſauit; & ita, ſicut quælibet Eccleſia ſui ſponſa dicitur Epiſcopi. Mater Eccleſiæ fuit Synagoga, vt patet ex Iſaiæ vaticinio: *Vocaberis mater ciuitatum fidelis Sion*. Et inferius nomine ciuitatis, Eccleſiam intelligit, quæ cunctas admittit ſuo gremio nationes. De eadem, ait Emiſſenus, intelligitur illud Canticorum: *Sub arbore malo ſuſcitaui te ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Hæc igitur febribus æſtuat, languetque in domo Simonis quia vſque in hodiernum diem infirma decumbit, in Chriſtianorum æſtimatione Synagoga, vt ex ijs, quæ Romæ conſpicimus, comprobatur. Attamen, illam Chriſti continget manus in fine mundi, & ab omni ſaluabitur infirmitate qua modo languida detinetur: tunc cognoſcet, tunc ſeruiet Chriſto: cognoſcet enim ex illo ſalutem promanare certiſſimam. Quia, vt ait Apoſtolus: *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* Sic locum hunc præfati capiunt Auctores. At noſtro fixius propoſito adhærentes, quod in ſenſu morali explicant alij: cum illis dico, per ſocrum Simonis febribus detentam intelligi peccatores, qui calidiſſimis æſtuant febribus peccatorum. Ita D. Ambroſ. & Beda in hunc locum. *In domo ſanè Petri magnæ febres ſunt: quia ſunt in Eccleſia grauiſſima peccata, & talia, vt dicatur de quibuſdam quod tenentur magnis febribus.*

Eſt autem hoc dogma Catholicum, à SS. Patribus communiter propoſitum, non omnes fideles, qui comprehenduntur Eccleſiæ gremio, ſanctos eſſe, in illa quippe plurimi ſunt ſceleratiſſimi: quorum peccata adeo grauia ſunt & enormia, vt multorum infidelium, crimina qui gremio Eccleſiæ excluduntur, malitiâ ſuperent, vincantque grauitate. Teſtem adduco Apoſtolum: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes.* Hoc idem denuo declarat Apoſtolus, de quibuſdam ſcribens ſceleratis: *Eſt infideli deterior.* Hoc Dominus ſpectabat, dum per Ezechielem exprobrabat: *Iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Et iterum: *Tranſite ad inſulas Cethim & videte &c. ſi factum eſt huiuſmodi.* Talia, tamque grauia à fidelibus, & Eccleſiæ filijs crimina committuntur, vt eorum cælique terræque mirentur enormitatem: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc & portæ eius deſolamini*, clamat Hierem.

Hier. 2. 12.

III. Allegoria de ficubus Hieremiæ.

Oſtenſurus Dominus Hieremiæ, quis ille ſuus populus, quibuſque illum eſſet punitarus, & ex ſupplicijs, qua mi erum ſeruituti damnaturus, ſic ait: *Oſtendit mihi Dominus, ecce duo calathi pleni ficis poſiti ante templum Domini.* Calathus vnus ficus habebat bonas, ſapidas, maturas, quales eſſe ſolent, ficus primi temporis. Alter ficus habebat malas, malas valde, quæ cum peſſimæ ſint, nemo comedit. Indubium eſt, hoc templo ſignificari cœli gloriam: *In templo eius omnes dicent gloriam.* Huius atrium templi, eſt Eccleſia militans: nulla namque ſpes affulget illi intrandi in gloriam, qui prius non intrauerit in Eccleſiam. Hoc præcinit Dauid: *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem.* Non omnes qui hoc inhabitant atrium, ſanctos eſſe dixeris ac perfectos. Multis congratulor, qui ſimiles ſunt ficubus illis bonis valde, optimis. Multos enim eſſe gaudemus in Eccleſia multiiuga virtutum perfectione præcellentes, Deoque familiares, quibus nihil aliud in mentem venit, quam Deo placere, ſeruire, pietatem, timorem, amoremque ſectari. Porro & alios non pauco numero eſſe lugemus ficubus ſimiles malis valde, peſſimis, meritoque reprobandis: Multos enim in Dei Eccleſia nouimus ſceleratiſſimos peccatores, venumdatos vt faciant malum, homicidas, adulteros, vſurarios, impudicos, tantorum criminum reos, vt auris ea audire perhorreſcat.

Hier. 24. 1. Pſ. 28. Pſ. 122. 2.

Hinc infert D. Auguſt. huius loci explicationem, vbi de Eccleſia loquitur Spiritus S. cuius nomine ſic effatur: *Nigra ſum ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Et expendit quàm ſit Eccleſia nigra, & deteſtabilis ex vna parte, ſed quàm pulchra grataque ex altera. Ex illa nigra eſt, obſcura, & difformis. *Sicut tabernacula Cedar:* Quæ ſummopere nigra erant, radijs ſolaribus, pluuijſq; decidentibus deformata. Ex hac verò pulchra, ſpectabilis; *Vt pelles Salomonis*, quæ expolitæ, ſplendidæq; refulgebant. Erant enim veſtes quibus Salomon indutus ad nitorem ornabatur; dicamus ergo quod veſtes erant polymitæ & pretioſiſſimæ. Idem in Eccleſia contemplemur: Sunt in ea peccatores, & inter hos quidam tanta grauitate criminũ & multitudine difformes, vt Arabes & Gentiles eſſe videantur, qui vitam traducunt teſte Apoſtolo: *Sine Deo in hoc mundo: quorũ finis interitus.*

Lib. 3. de doctrina Chriſti c. 72. Cant. c. 1. 14.

IV. Eccleſia nigra eſt & formoſa.

*interitus eſt, quorum Deus venter eſt.* Alios conſidero virtutum meritis eminentiſſimos, boni operibus perpulchrè inſtructos quos dicitur Deus veſtiri atque adornari elegantiſſimè: *Viuo ego dicit Dominus quia his omnibus, velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos, quaſi ſponſam.*

VI. In Eccleſia ſunt boni & mali. *Iſa. c. 49. 18.*

Quinimo in ipſa Simonis domo hæc eadem conſpicitur eſſe varietas. In illa namque deſiderata valebat Petrus ſalute, ſimiliter & vxor eius viribus conſtat integris, nec non Apoſtoli proſpera gaudebant valetudine, pluresque alij belliſſime ſe habebant. Et in eadem domo, decumbebat ſocrus eius ardentiſſima febri vexata, quatuorque corporis lateribus exæſtuabat. Hic in Eccleſia militante boni malis permiſcentur, inſigniter boni, & peſſimi peccatores coram Domino nimis. In Eccleſia triumphante in cœlis omnes iuſti ſunt, omnes ſancti, nemo non puriſſimus, nemo non ſanctiſſimus. Foris canes & venefici, peccatores immundi fornificarij &c. vt ſcribitur Apocalypſis vltimo. In inferno omnes mali, deteſtabiles, execrandi, immundi ſunt peccatores: nihil enim in illis reperitur laude dignum, nulla virtus. Attamen in hac Eccleſia, quæ eſt velut inter vtrumque, media, iuſtos video, ſed peccatoribus, & quidem primæ notæ permixtos. Idcirco ne ſtupeas, ſi in monaſterio, domo ſalutis, ad hoc inſtituto, dolens ægerque quiſpiam inueniatur. Non hoc te moueat, ſi in hac Eccleſia tanta more in perfectione ſpectabili, quiſpiam febribus ardeat, quia etiam in domo Petri, qui febribus æſtuet, inuenies.

VI. Auguſtini reſponſum ob ſcandalū.

Tractatum habet omnino diuinum D. Auguſt. quem occaſione ſcripſit alicuius caſus, qui in ſuo Monaſterio contigerat. Tulerunt teſtimonium in quemdam ſuum Religioſum presbyterum nomine Bonifacium, accuſaruntque virum ad minus ſtupri, & violatæ ab eo virginis. Augebatur autem indies, & glisſebat rumor ille in tantum vt tota vrbs Hyppone graue ex eo ſcandalum pateretur: & cum eſſet mendacium, omnes ſummoperè crimen exaggerabant. Quis hominum credat in tali monaſterio religioſum viuere adeo ſolutum in luxuriam? Inter Canonicos adeo regulares tantam inueniri malitiam? Decreuit D. Auguſtinus illis ſatisfacere quocirca illis litteras dat, quarum hæc erat inſcriptio: *Dilectiſſimis fratribus, & Clero, ſenioribus & vniuerſæ plebi Eccleſiæ Hypponenſis, cui ſeruio in dilectione Chriſti, Auguſtinus in Domino ſalutem.* Exorditur à gratiarum actione, collaudans illos, quod tanti illos peccati tæderet, quod non bene in Monaſterij dedecus ſpargebatur: erat hoc enim charitatis indicium: *Qui enim iſta non dolent, non eſt in eis charitas.* Deinde ſparſi criminis ſatisfacit rumori: ſed toto laborat conamine, quò illis perſuadeat, non ex eo, ſumant ſcandali rationem, quod in communitate videant Religioſorum, aut Eccleſiaſticorum, vnum vel alterum defectibus laborantem, quandoquidem ſint adhuc in hoc mundo peregrini. Nullus in cœlis accuſabitur defectus, vbi teſte veritate, *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum.* Matt. 13. 47.

VII. Nulla

Attamen hoc in mundo, nulla domus à languentibus libera, quocirca licet etiam in mea fuerint, non eſt cur admiremini, cur in cœtum congregati conueniatis, forumque conſcendatis: quantalibet enim ego curâ ſedulus inuigilem, homo tamen ſum, & inter homines viuo pollutos imperfectionibus: nec eſt quod mihi adſcribam, domum meam, arcâ Noë eſſe iuſtiorem in quatuor viris, vnus ſcribitur reprobus, maledictus, patris irriſor; nec ipſa Abrahæ familia, cui præſcribitur foras ancillam, filiumque eliminet: nec Iſaac, vbi ex duobus geminis, vnus à Deo reprobatur: nec ſimiliter Iacob cuius ipſe primogenitus propria cognitâ nouercâ patris fœdauit cubile inceſtuoſus libidinoſus: nec ſimiliter Dauid cuius hic filius propriam violauit ſororem, ille patri rebellis eumdem regno priuare conatur, domo exturbat, proprijs commiſcetur Nouercis ſpectante populi multitudine: nec D. Pauli, quem audio conquerentem multos ex ſuis officio ſuo deficientes: nec mea ſuperior eſt ſchola eâ Chriſtus magiſter præfuit: in qua ex duodecim diſcipulis vnus Iudas perfidus magiſtrum triginta diſtraxit denarijs tandem nec ipſis illuſtrior cœlis: ex quibus tertia pars ob ſuperbiæ peccatum cecidit Angelorum. Non hoc fratres, vos ſcandalizet, licet videatis eum, quem cultioris perfectionis habueratis candidatum, in peccati cœnum delabi: quo namque tempore viuimus; nullus à lapſu ſecurus. Eſt namq; noſtra non exigua infirmitas: diaboli non modica fortitudo, nec intermiſſa tentatio, laquei ſibi inuicem occurrunt, ad quemlibet paſſim titillant occaſiones: etiam in domo Petri proſtratum febribus inuenietis, non hoc, obſecro, vos ſcandalizet, Dominum rogate, erigat infirmos, voſque ſua protegat manu, ne in peccata corruatis.

**§. II. Nulla in terra domus, ſicut nec in Ægypto ſine doloribus, qui extimulant, & iuſtè talem creauit Deus hunc mundum.**

Io. 25 Hi.67.ad 59. ALiud hic meditor myſterium, non leuis conſolationis argumentum, quod D. Chryſoſtom. enucleat, de quo & tractatum compoſuit: nullam eſſe in hoc mundo Capharnao domum, quam labores non extimulēt, & ſit licet Chriſto maximè familiaris vtpote Simonis Petri: in hac iacet ſocrus eius febribus laborãs, in domo Centurionis deficit ſeruus illi pretioſus iã moriturus: In domo Principis Eccleſiaſtici filia decũbit mortua: in domo Principis ſæcularis, quē dicit D. Ioa. regulũ, exſpirat, filius; in domo ſynagogæ, alter à dæmone moleſtatus exclamat. Et hoc verũ eſſe cuncti proclamant: mundũ hunc, Ægyptum eſſe confuſionis: In qua teſtatur Spiritus S. domus non erat quæ nõ aliquē lugeret mortuũ: *A primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat, vſque ad primogenitũ captiuæ, quæ erat in carcere &c. & ortus eſt clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.* En tibi viuum mundi exemplar: nulla domus à lachrimis planctuque libera, nec locus adeo recreatiuus, in quo multa non ſint deploranda: *Non erat domus, in qua non iaceret mortuus.* In hac domo decumbit æger maritus, in illa mulier, in alia filius: in hac cauſa perditur in illa moritur vnica, in alia fit bonorum iactura, in altera quædam proditio: (a) in alia moleſtia non toleranda.

I. Nulla domus à moleſtiis libera.

(a) Ioll'a mal paſado.

Diuus Chry. Ho.77. Tom.3.

Hanc proſequitur materiã D. Chryſoſt. *Quod quemadmodũ impoſſibile eſt inuenire in mundo hominē immortalē, ita & ſine triſtitia.* Et certe præclara eſt oratio qua probat, nullũ inueniri ſtatũ, nullã perſonarũ conditionē, quæ non habeat, cur ingemiſcat. *Et nemo prorſus ſine triſtitia inueniri poteſt: ſi vero non habent tantã rationē triſtitiæ ſicut nos, occaſionē ita quiſque putat: proprium enim cũ pluſquã alienũ afficit, ſicut enim in corporis dolens partibus, & oculũ habens vitiatũ nullã ægritudinē aliã talē eſſe cenſet qualē ſuã, rurſum qui ſtomacho laborat, hoc omniũ eſſe difficillimum aſſerit, & quo quis tenetur, hoc omniũ eſſe moleſtiſſimum dicit: itidē & in triſtitia, qua quis detinetur, hanc aſſerit eſſe difficillimã, cũ propria enim hoc experientia indicat. Sicut qui filios non habet, nihil ita graue putat, ſicut filijs carere; qui multas habet cum paupertate, nihil tam accuſat, quàm filiorum multitudinem, vnum habens nihil peius quàm vnum habere putat. O ſi hic mihi emoriatur, ſi mihi hic excidat. Hinc enim, inquit, & ſegnis efficitur, & in triſtitia patrem ſemper conſtituit, cum ſemper ſit illi deſiderabilis, & nullam correctionem admittat. Qui pulchram habet vxorem, nihil ſe peius habere dicit, quàm quod pulchram habet: ſuſpicionis enim plena res eſt, & inſidiarum. Qui deformem nihil peius eſſe aſſerit: res enim eſt faſtidio plena. Priuatus nihil huiuſmodi vita inutilius eſſe dicit nihil abiectius. Miles, nihil eſſe militia laborosius, nihil periculoſius aſſerit: ſatius enim pane ſolo cum aqua veſci, quàm tot ferre moleſtias. In magiſtratu poſitus nihil magis laborioſũ, quàm alienas curare calamitates, & neceſſitates affirmat. Subditus nihil ait ſeruilius, quàm aliena poteſtati ſubiacere. Vxori iunctus vxore nihil & ſollicitudine peius aſſeuerat. Vxore carens, nihil illiberalius, quàm vxorem non habere teſtatur, & domo carere & quiete. Mercator agricolam ex ſecuritate beatũ vocat, agricola mercatorem ex diuitiis, & moroſum omnino genus humanum ſortem ſuã accuſans, & animum gerens grauatum. Dum omnes condemnat homines, tunc ait: nihil homo, omnem decens naturam laborioſum animal, & ærumnoſum. Quot ſenectam admirantur? Quot beatam vocant iuuentam? Sic & in ætatibus multum triſtitia. Cum nos propter ætatem videmur accuſari, dicimus: Quare non fuimus ſenes? Cum vero vertex albeſcit, dicimus, vbi iuuenta? & omnino multas triſtitiæ cauſas habemus.* Huc vſque D. Chryſoſtom.

II. Probatur ex Diuo Chryſoſto.

Vbicumque flendi, & in quocumque ſtatu ſeu conditione, materia eſt ampla contriſtandi. Quid hoc igitur Domine mi? Scire cauſam deſideras? Noueris (aſſerit D. Auguſtin.) hoc ex diuino procedere præſcripto, ne mundo nimis afficiamur. Creauit nos Deus, non vt hic maneremus, & radicem in terra, ſicut arbores aut animalia figeremus: in hoc quippe eorum conditio concluditur; ſed vt hic nos dignè præpararemus quo cœli gaudia tandem aſſequamur & hoc in nobis volebat deſiderium accendere, qui quotidianam compoſuit orationem, docuitque nos diceremus: *Adueniat regnum tuum.* Idcirco nobiſcum modo voluit agere ne noſtram hic voluntatem, affectumque figeremus. Si volueris quis in pauimento non figat pedes, ſpinis illud contege: Animæ noſtræ pedes, affirmat. D. Auguſtinus, affectus eſſe noſtros: vt autem illos non in terra defigamus, implet illam Dominus ſpinis, ſpargitque tribulis. Hoc alteri à recta via deuianti, promiſit, quam reducere conabatur: *Ego ſepiã vias tuas ſpinis.* Mundum appellat qui eum probè nouerat Spiritus S. *Torrentem ſpina-*

In Pſ.37.

III. Hoc facit Deus ne mundum nimium amemus.

Oſe.c.2.6.

*ſpinarum.* Vbicumque pedem fixeris, ſpinis laceraberis. Si duxeris vxorem, quoties te huius pœnitet? Si filios genueris, quanta te cruciat anxietas? Si filijs carueris, quis te mœror obruit? Si diuitijs affluas, qui proceſſus, qui diſcurſus? Si premaris inopia, quæ te vexat moleſtia? Vbique ſpinas inuenies, & qui ſpinam pedibus, potius dixero, cordi non infixerit, credo te ſcire neminem.

IV. Similitudine declaratur.

Cur ita? Ne hic amice, pedes animæ, voluntatem, & intellectum defigas debito profundiùs. O bone Deus. Si quempiam conſpiceres tanto æſtuantem deſiderio tranſeunti aulam ſpinis adeo circumquaque conſperſam vt illæ pedes cruentarent, ſanguinem elicerent copioſum, lachrimaſque extorquerent profuſiſſimas, nullus nihilominus modus eſſet, eum aliò diuertendi, vel iter diſſuadendi, quid acturum crederes, ſi illis roſiſque via ſtrata corrideret? Si ſparſis vbique tot ſpinis hoc in mundo, vt ne pedem transferas, quin vel vnam tibi infigas adeo cruentam, vt vocem ad ſidera tollas, & lachrimas excitet amariſſimas, nullus ſit adhibendus tibi modus, quo hinc exire deſideres, aut de diſceſſu vel ſemel cogites, quid eſſet, ſi ad votum tibi cuncta profluerent? Si roſis omnia, ſi lilijs cuncta germinarent? *Mundus te turbat, & amatur.* (Audi D. Auguſtin.) *quid faceres, ſi tranquillus eſſet:* Viros video adeo mari addictos, qui millenis agitentur turbinibus, ſuaque effundant viſcera piſcibus, & circumquaque tempeſtatibus ad extremum affiguntur; qui tamen illos ab hoc dehortetur, ſcio neminem; quid hi facerent, ſi ſemper tranquillum, vt olei ſtagnum conquieſceret? Quis tum illum ne maris ſe ſubiiciat vndis à propoſito dimoueat? In eum finem tot tantaſque Deus produxit ſpinas, quatenus pedes attollas, ſurſum erigas cœlumque toto petas affectu.

D. AVGV. *In illud pſ. 37. Cor meũ conturbatum eſt in me.* Tom. 8.

☞ 26 *Pſal. 37.*

Hunc in Dauid effectum hæc operabatur meditatio, ipſo teſte cui præſcribit titulum: *In rememoratione de Sabbato.* Dies Sabbati diẽ ſignificat gloriæ, hic enim quietis dies fuit; de quo non dicitur, vt de alijs, quod noctem habuerit, qua tenebroſus occideret. Indicare nobis rex voluit Dauid qualiter diei quietis recordaretur, illius videlicet æterni Sabbati, nec non declarare, quis hanc in illo refricaret diei memoriam: *Miſer factus ſum & curuatus ſum, & humiliatus ſũ nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Narrabo tibi, quæ mihi acciderint. Miſeriis vſque ad os implebar, confractus viribus, doloribus incuruus vltra vires, ita vt tæderet etiam viuere, quocumque ingrediebar noua ſemper occurrebat, occaſio triſtitiæ: Nunc mihi filia violatur, nunc filius miſerè trucidatur, modò lanceis alium trãſfigunt, modò diſſipatur exercitus, hic me numeroſus inuadit inimicus, illic me ſcurra terra vilior calumniatur, oppetitque lapidibus: vnde grauiſſimis obrutus afflictionibus ingemiſco, *Nimis.* Tales me premunt anguſtiæ, vt præ nimio dolore, rugitus edam leoninos: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Quid ergo Dauid? Quis in te ex illis effectus? quis? deſiderium de loco tot ſpinis obſito deſcedendi, mundum tot tribulis horridum deſerendi, cogitatum mentemque meam dirigendi in cœlum, exclamandi, Eheu, quando cœleſtibus perfruar lætus gaudiis? quando terram poſſidebo à ſpinis expurgatam: meum adſpirat eò deſiderium: *Domine ante te omne deſiderium meum.*

V. Ex tribulatione creſcit cœli deſiderium.

*Pſ. 37. 10.*

Hoc ipſum eſt, quod ſanctorũ erigit deſideria, tollitque cogitatus, dum hic ne vel vnica dolent hora pleno ſalutari gaudio. Retulit mihi Eminentiſſimus Cardinalis Xaueris, quod ſummo Pontifici Clementi Octauo piæ memoriæ collocutus, de eadẽ agens materia (ipſos etiã Pontifices continui cogunt labores de talibus ſermocinari) illi dixerit, ſolemni conteſtatus iuramento, ſe non meminiſſe, ab initio Pontificatus, vel horam integram habuiſſe vigilem, qua noua ſibi non ſuccederet afflictio, nouaque non eum obrueret triſtitia. Hoc electorum excitat deſiderium, ad terram illam quietis paciſque proficiſcendi, & cum Dauide conclamandi; *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Hoc innuit pſalmiſta verbis illis toties repetitis, de Dei electis: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrimarum.* q. d. Recordari ſe in valle morari lachrimarum, vbi per omnia nobis illos excitant dolores, in valle ſpinarum, vbi pedem figere non valeant, niſi pluribus configantur, ardentius excitat, vt corda ſurſum eleuent, & in cœlum abeundi præparent deſideria.

VI. Clementi Octauo nulli ſine nouâ quotidie afflictione...

*Pſal. 4.*

*Pſal. 83.*

Quærit D. Th. num mundum hunc potuerit Deus condere perfectiorẽ, & quæ eo continentur meliora: ſi namque potuerit, in eo deliquiſſe Deum quis forſitan dixerit quòd nõ fecerit, cũ nullus ſit artifex qui non tota diligentia ſtudeat, opus ſuum ad ſummã elaborare perfectionem. Negare verò conditoris poteſtatẽ, eiuſdẽ eſt limitare potentiam, quæ cum ſit infinita, nullam patitur immenſa limitationẽ. Reſpondit D. Th. indubiè mundum potuit omnipotẽs creare perfectiorẽ, & quæ in eo continentur infinitis prærogatiuis, & ſine termino eminentiora. De eo

1. p. q. 25. ar. 6.

VII. Potuit Deus mundum condere perfectiorem.

namque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epheſ. c. 3. 20. namque pronuntiat Apoſtolus: *Qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus.* Solem hunc creare potuit millies lucidiorem, excellentiorẽ, quo mundũ ſua amplius luce recrearet, & effectus produceret multò perfectiores: lunã pulchriorẽ, influentiaſque ſuauiores, ſtellas ſplendidiores, quæ nos lumine illuſtrarent clariori: terram ſine tribulis, floribus ornatam multo numero pluribus, fructibus dulcioribus, fontibuſque refrigeratiuis ac cryſtallinis multo ſalubrioribus; tempora temperatiora, ac gratiora, ita vt nihil in rerum eſſet natura quod non ſummam adferret homini voluptatem; non frigus non conſtringeret, non æſtus remitteret: nulli viderentur colubri, non morderent ſerpentes, non inficerent dipſades, non ſpina pungeret: ſed quidquid pedibus tereremus, flores eſſent, roſæ, lilia; voluntas, recreatio.

VIII. Cur non fecit? Cur igitur non fecit? Cur tanta ſterilitas, ariditas, vt quis pluribus aliquando proficiſcatur leucis, nec aquæ guttam, qua linguam refrigeret, inueniat? Vt quid arbores infirmæ adeo virtutis, vt ſæpius fructu non germinent, & ſi germinent, aut prima decoquantur, aut vermibus erodantur? Cui tot ſpinæ, tribulique ſeruiunt? Quia propter hominem creauit

4. Eſdr. c. 6. 55. mundum: *Propter nos feciſti ſeculum.* Vnde talem condidit, qualem hominis ſaluti conueniebat. Non illum creauit, vt perpetuum eſſet

IX. Vt ad cœleſtia homo tranſdeſ. ceret. hominis habitaculum: hæc etiam omnia parua erant illi, qui regni ſui gloriam erat perpetuò poſſeſſurus: ſed vt eſſet officina, in qua poneret homo animam ſuam, operibus meritoriis per gratiam prædiuitem, vt inde tranſiret, ad bonorum gloriæ poſſeſſionem: eſſet quoque, velut lapidicina, in qua velut lapis expoliretur tandem in cœleſtis ciuitatis ædificio reponendus. Huic intentioni, non illi mundus expediebat perfectior, non maiores deliciæ, non requies ſuauior, non voluptas delectabilior, ſed omnia talia, vt ipſa hominem excitarent, ab his terrenis egrediendum: vt animæ pedes erigeret, intellectum & voluntatem, nec illos telluri tot obſitæ tribulis affigeret, ſed cœlum verſus iter dirigeret, ſibi à Deo, ab ipſo mundi primordio præparatum.

Ea de cauſa terrena hæc tam exiguæ condidit virtutis, tam paruæ venuſtatis, tam labilis voluptatis: ad hoc, vt campus eſſet mundus ſpinarum, vallis lachrimarum, tot redundans defectibus, modo fluminum, modo ſolis, nunc ſalutis, nunc virium, hinc diuitiarum, inde voluptatis, tot ſpinis, vt vbicumque pedem fixerimus, nos ad lachrimas prouocent amariſſimas: idcirco de ſolo pedes extraheremus, exire deſideremus, cœlumque nobis deſtinatum petere feſtinaremus: *In valle lachrimarum in loco quem poſuit* &c. O gemebunda columba, quid actura ô auis pulcherrima, ſi non inuenieris, vbi requieſcat pes tuus, niſi ſuper effluentes aquas, putrida cadauera? Hoc agas, ſi adeo, volatu celerrimo ad arcam tranſuola, vbi te magnus ille patriarcha Noe colligat, & introducat, poſſitque requieſcere: *Quæ cum non inueniſſet, vbi requieſceret* Gen. c. 8. 9
*pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* O anima, quæ mundum circumuolas, in nullo te X. Nulla hic à laboribus requies.
noueris inuenire poſſe requiem: exundat enim mundus cædium, laborumque gurgitibus. Crediſne, dolium inexplebile, vitam tuis in pecuniis inuenire requiem? hinc tribulus orietur iacturæ nauis acutiſſimus, inde argentariæ diſſolutio tui correſpondentis, alias latronis irruptio, militum inuaſio. Dignitatum auidiſſime, num tibi in adeptis ſpondes requiem honoribus? Ilico tibi mouebunt lites, teipſum mille confodies laboribus, & quo illos conſerues anxietatibus. O mulier viro nupta, num tibi requiem in marito polliceris, quem mane videbis, dolebiſque expirantem? Pater, num perfectum tibi gaudium arrogas in filio? de quo cum minus fueris ſollicitus nuntia deferentur, inter inimicorum arma corruiſſe? Surſum corda ſurſum euola, dic & ex corde dic: *Adueniat regnum tuum*, eo namque fine frequentes ſunt adeo calamitates.

## §. 12. Tenebatur. *Infirmitatibus homo detinetur: ſiue ob humilitatem, vt D. Paulus, aut vt ſuo ſiſtat in itinere, vt Antiochus.*

TEnebatur magnis febribus. Hæc verba perpendamus, quæ cum ſcribat D. Luc. medicus, diuina ſũt præſcripta: languẽtibus animabus noſtris ſalutaria: Sic audio. D. Greg. 27
*Lucas medicus, omnia eius verba ſunt languentis animi medicina.* Tenebatur (inquit) ſocrus Simonis magnis febribus: *Tenebatur.* A quo tenebatur? Aut illa febres aut febres illam detinebant? Quantum ſapio illa febres tenebat, illa namque

ſubiectum, febres accidentia; ſubiectum autem ſuſtinet accidentia & non oppoſitè. Communis eſt illa de languente interrogatio; quid habet? ſignans, infirmum eſſe qui detinet infirmitatem. Vt quid igitur ſcribit medicus Lucas de hac muliere: *Tenebatur?* Quo doceat nos, ſæpius à Deo electis morbos immitti, quibus illos ne in ſuperbiam efferantur, detineat. Eminentes ſunt adeo fauores, quibus Dominus ſuos præuenit, vt indigeant æquipondio, ne illis intumeſcant. Alias diximus, quòd de Domino Iob fuerat locutus: *Fecit ventis pondus.* Ne citius euaneſcant. Hoc quotidie reuoluimus, quod D. Paulo contigit, & ex induſtria ponderat D. Auguſtinus primò namque Pauli trutinat ſanctitatem, quem præclariſſimis Deus extulerat gradibus, quibus eum cæteris prætulit ſuperiorem: illi namque conceſſit, vt plus cæteris in vinea laboraret, ad tertium euexit cœlum mirificis beauit viſionibus, illuſtrauitque reuelationibus. Nihilominus quid cum illo agit Dominus? id quod cum propheta Iob (inquit D. Auguſtin.) Nam ſicut diabolo Dominus indulſit, vt Iob corporis auferret ſanitatem, corpuſque grauiſſimo perceuteret vlcere: ſic & Apoſtolo. Hoc enim indicat: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Quid hoc erat? Reſpondet D. Auguſtin. *Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer immiſſo ab Angelo Satanæ: nam & ſanctus Iob ita probatus eſt* Et hoc, quo fine? *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Nota verbum: *Colaphizet:* Qui colaphos velùt puero infligeret: *Quid eſt hoc, fratres? Ne extolleretur tanquam iuuenis, colaphizatur vt puer.* Hinc multos videre licet amicos Dei, qui diuerſis à Deo gratiarum donis cumulantur alios curandi, cum ipſi grauioribus teneantur infirmitatibus, quas ea Deus permittit intentione, vt humiles permaneant, nec ſe ob ea inaniter efferant ſuper ſe faſtuoſi, nimiumque ſibi tribuentes.

*Iob.28.25*

D. AVGVS. *In illud pſ. 30. 1. Domine, non eſt exaltatũ cor meũ.*

I. Permittit Deus electis ſuis infirmitates ne ſuperbiant.

*2. Cor. ca. 12. 7.*

Admirandam plane conſcribit hiſtoriam D. Gregor. de S. Marcellino Epiſcopo Anchonitano. Excitatur in vrbe adeo vehemens incendiũ, vt tota conflagrare videretur. Cum oppidani omnis inopes conſilij, quid agerent, ignorarent, ad Epiſcopum triſtes confugiunt, qui in ſella geſtatoria podagrà detinebatur immobilis. Quibus ille: Filij, illò me conferte, via vehementiùs ſæuit incendium: hic me reponite. Dictis obtemperant, & ecce reueritur ignis eximiã præſulis ſanctitatem, flammas recolligit, deferueſcit, totuſque extinguitur. Num tale quid obſtupeſcis? Tantum inueniri virum, notæ virtutis eminentem, cui tantum deferat ignis, ſuam remittat ſæuitiem, ſydera petentes humiliet flammas, ipſe tamen ea teneatur podagra, vt nec ſe loco mouere queat, eoque loco, vbi formidandas ignis ipſe detinebat flammas; ipſum detineat podagra paralyticum? Qui mandare potuit igni, vt flammas comprimeret, ſuumque coërceret impetum, podagræ mandare non potuit vt vim ſuam ardoremque refrænaret? Præſcriptum erat diuinum, hac ipſum detineri infirmitate, vt dum ſe tanta conſiderat poteſtate præditum, qua flammarum globulis in aëra conſcendentibus imperat, illum detineret, velut pedicis conſtrictum falconem, ne intumeſcat, aëraque ſcandat glorioſus. Hoc quoque in meo perpendo magiſtro B. Ludouico Bertrando, quẽ infirmis ſalutem videmus impertientem ipſe tamen ceteris omnibus infirmior, morbis horridis & acerbis prægrauatus. At ille hos eſſe dicebat catenas, quibus à Deo captiuabatur, et atque hoc illi familiare colloquium. O te ſurdum (ſurdaſter enim audiebat) quàm iuſtè te vinctum detinet Deus vt illi te ſubijcias.

*Li. 1. dial. cap. 6.*

II. Exemplo probatur.

Quod ſi hæc de viris pietate præditis efari licet, nec minus de peccatoribus verũ eſſe confirmatur; quòd ipſos ſcilicet detineat corporis ægritudo, hanc enim Dominus ea de cauſa infligit, ita vt magis propriè dixeris, quòd ipſa peccatores detineat, quàm peccatores ipſam: *Tenebatur.* Exempla quæris? qualis erat vita veſtra: quibus intendebas, niſi tuis fauere voluptatibus, prata viridantia percurrere, cunctas fructibus arbores ſpoliare, voluptati in omnibus fræna laxare, eorum more qui dicebant: *Nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra:* Ad talis feſtinare domum, noctiuagum per plateas obambulare, ludorum tabernas frequentare ſolutis tuas habenis ſectari voluptates, vt hoc nomine meritò cum Hieremia compellemus: *Curſor leuis explicans vias ſuas.* Vt te nec clamores detineãt prædicatorũ, nec pulſus quibus animæ tuæ Deus percutit interiora grauiores, nec inferni timor, nec iuſta reuerentia quàm debes, illi cuius es. Febrim tibi immittit ardentiſſimam, te colica capit intolerabilis, aut accidens moleſtum ite lecto proſternit debilem, illud eſt, quod te detinet, vt iam illò non progrediaris, quo leuior aere procurrebas: iam curſus ille tuas poſt delicias ſuſpenditur, iam nihil in mentẽ venit aliud, quàm tuæ ſalutis anxia ſollicitudo.

III.

*Sap. 2.*

*Hier. 2.*

do. Hæc illa eſt ægritudo, quæ te tibi detinet vinctum, eo illam animo Deus permittit, vt hoc te itinere, quo præceps ferebaris, vt equus effrænis, remoretur: *Quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Hoc Deus prætendit, dum tibi morbum immittit cum minus hoc formidares.

Hierem. 8.

Hoc modo deſcribit Oſeas animam (noſtra loquamur phraſi) deſiderijs ſuis, appetitibuſque carnalibus intendentem, ſibiq́ue hæc proponentem: *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas lanam meam, & linum meum, oleum meum & potum meum.* His ſymbolis cunctas ſignificat ſpecies deliciarum quas toto illa corde ſectabatur. Hanc Deus intuetur, eiq́ue compatiens ait: heu te miſeram, nonne vides in tuam te properare perditionem? Mittam tibi, qui te à curſu detineat: *Propter hoc ego ſepiam viam tuam ſpinis.* Hoc perpende: *Propter hoc*: id eſt in eius remedium: in medio itineris tribulos ſpinaſq́ue ſeminabo, vt pedes tuos affligentes te ſiſtant procurrentẽ; vt ſi quando tibi dixerint: quid in via ſiſtis, quid vltra non progrederis? Quis iniecit remoram? reſpondebis, vt ille, qui fortuito in via in ſpinam offendit, qua transfixus detinetur. An ergo eam ille non habet, habet quidem, ſed multò veriùs, illum ſpina tenet & detinet: cum illa ſit, quæ per viam cogit moram trahere, curſumq́ue ſuſpendere properantem.

Oſee 2. 5.

IV. Exemplo conſternatur Regis Antiochi.

Exemplum ſume in curſore illo leuiſſimo Rege Antiocho; qui toto ferebatur impetu per ſuorum itinera ſcelerum, ac auaritiæ ſemitas: Deo ſacrilegus, populi Dei ferociſſimus perſecutor, pauperum expoliator, puellarumq́ue violator. Rhedâ ſuâ vehebatur ſuperbus, mandat rhedario, equos ad curſum excitet velociorem: *Iuſſit agitari currum ſuum, & ſine intermiſſione agens iter.* Quis curſorem detineat adeo violentum? Quis? vna viſcerum, ventriſq́ue non tolerabilis infirmitas: *Apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta.* Verbum hoc *Apprehendit*: ne prætereas cum D. Chryſoſtom. quod de illo propriè dicitur, qui extenta manu currentem ſiſtit: vt de appatitoribus, patet qui latronem inſequuntur velocius fugientẽ, quem iniecta manu collari detinent: aiuntq́ue. Tenet te Rex. (a) Sic apprehendit Antiochum infirmitas, illi manus iniecit, Deiq́ue nomine ſiſtit: *Apprehendit eum dolor dirus &c.* Viden' hærentem Antiochum? candis exclamantem: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo?* Iamq́ue comprehenſus, orationes cœpit fundere, promiſſa vo-

2. Mach. 9.

Orat. in Pſ. ad Hebr. in princ.

(a) Tenet te Rex.

taque Deo ſacere ſpondere vitæ correctionem, iurare captorum in integro reſtitutionem, ablatum ſe velle reſarcire honorem, toto corde Deo ſeruire, magnitudinis eius perpetuum pollicetur ſe fore prædicatorem: *Templum quod optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis præſtaturum &c. & prædicaturum Dei poteſtatem &c.* Quid hoc Rex potentiſſime? Qui ſunt hi quos teres dolores? Non ego illos teneo, ſed illi me tenent cruciatus: *Apprehendit eum dolor dirus* adeo, vt eius me nequeam manibus expedire.

29 V. Quotidiana pariter experientia.

Hoc ipſa quotidiana nobis objcit experientia in ijs, qui latiſſimas percurrunt ſuorum vias vitiorum: hic impudicitiæ, alter auaritiæ, ille ambitionis: proſternit illos infirmitate Deus, at inopinatò. O quam fixè lecto languidi detinentur? Quot vota iurant? Quoties confitentur: *Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo?* Quot roſaria perſoluunt? Quot fundunt preces? Quot promiſſa ſpondent meliora? Hinc modus ille loquendi oritur, de peccatoribus, quo Deus vtitur in S. Scriptura, quod illorum pedibus pedicas injiciat, quibus ſiſtamur. Sic illi loquitur ciuitati, quæ ſuis inſiſtebat impudica ſceleribus, ex ore Hieremiæ (ſic notante D. Hieronym.) quando tantas illi Dominus permiſit ſuperuenire calamitates; quibus ab hoſtibus premebatur: *Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum.* Sumitur à te metaphora, quando laqueos feræ paras procurrenti vt illis capta, te trahente funem, cadat retroſum. Idem per Oſeam repetijt: *Expandam ſuper eos rete meum.* Nec non per vatem Ezechielem, eſt autem hæc Dei non parua miſericordia.

In cap. 1. Tren.

Thren. c. 1. 13.

Oſe. 7.

Cap. 12. 27 19. & 37.

Sic audio conferentem regium prophetam, quando Deum intellexit velle animæ ſuæ vitam elargiri, in eaque conſeruare qui tali gratus beneficio totum prouocat mundum, cum ipſo pariter Deo Domino benedicat: *Benedicite gentes Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis eius, qui poſuit animam meam ad vitam.* Quod tantæ laudis, ſanctiſſime Rex argumentum? *Induxiſti nos in laqueum*: laqueum pedibus meis paraſti dum meatum percurrerem itinera ſtultitiarum. Legit D. Auguſtin. *Induxiſti nos in muſcipulam*: myſterioſa eſt hæc lectio. Non hoc egiſti Domine vt captum me occideres, ſicut venatores, qui retia pandunt feris vt captas occidant, quinimo, vt me captum à morte vendices, ad quam cœcus properabam, vitam concederes: *Poſuiſti animam meam ad vi-*

Pſ. 64. 8.

VI. Eaque de cauſa David Domi... ...us patien... ...uit in tiam.

D. Avg. In pſ. 65. Tom. 2.

Audiamus D. Auguſtinum: *Vide, quomodo Deus ſeuit in illos, quorum animam poſuit ad vitam. Induxiſti nos in muſcipulam, non vt capti moreremur ſed inde liberaremur.* Sic ille. Signum eſſe credito, Deum velle animam tuam ponere ad vitam; quando, te ad letum properantem, laqueus irretit, quibus te detineat: quos enim ad finem vſque permittit ſeas ſectari voluptates, hos abiicit vt deſperatos, vt de illis teſtatur Apoſtolus, quos laxis permittit frœnis ſuis vacare

1. Theſſ. c. 2, 16.

ſceleribus: *Vt impleant peccata ſua ſemper: peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem.*

In c. 2. Exec.

Ex hac doctrina declarat D. Hieronym. verba Domini per Ezechielem, terrentis, vt videtur, iuſtum deuiantem, ſatis obſcura. Si iuſtus iniuſtus eſſe cœperit, aliquodue commiſerit delictum, exponam illi laqueum: *Si conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Quid hoc Domine, tune iuſto ponis offendiculum, quo cadat oculoſque offendat? Nonnè tu ille, qui iuſtum brachijs excipis cadentem, & ſuauiter detines ne offendat? *Iuſtus cum ceciderit, non collidetur; Dominus enim ſupponit manum ſuam.* Nonnè tuum hoc audiuimus præceptum: *Coram cæco non pones offendiculum?* Qua ratione te modo minaris offendiculum coram iuſto poſiturum, ſi à recta paululum virtutis via delirarit? Sic loquitur (exponit D. Hieronym.) quo ſuam erga iuſtum declaret, ne pereat, cadatque, miſericordiam. Quando viam ingreditur, aut feſtinat ingredi perditionis, non benè creditur paternorum viſcerum eſſe beneficium, id quod iræ putatur eſſe ſupplicium. Hoc eſt, quòd coram iuſto; quem perire non vult, quando ſuæ ſemitam ingreditur damnationis, ponat offendiculum, compedes iniicit, quibus eum detinet ne progreſſus vlteriùs ruat in animæ ſuæ ſalutiſque præcipitium. Ægritudinem immittit, quæ velut captiuum lecto detineat: neceſſitatem, vt dum illi ſatisfacit nec tempus, nec opes remaneant, quo perficiat quod animo conceperat: tenebres, quibus domi quietus reſideat. Huic conuenit iuſtè lectio Theodoreti, quæ pro *Offendiculo* ſupponit *Infirmitatem*: Quinimo legit D. Hieronym. *Tormentum; ponam tormentum*; cui ſic addit: *Vt torqueatur, & planam viam non inueniat, & intelligat ſe languidum:* Hoc diuinæ ſuæ opus eſt miſericordiæ; qua non omnibus, ſed ijs quos diligit cupitque ſaluari benignius ſuccurrit.

Ezec. c. 3. 20.

VII. Et Dominus coram iuſto ponit offendiculum.

Pſ. 34. 24.

D. Hi. In c. 3. Exec. Tom. 4.

Hinc occaſionem hauſit D. Greg. multoties præſtitis gratias agendi quas patiebatur, grauiſſimis: *Gratias ago, quod cogis me non poſſe quod non debeo velle.* Quid hoc rei Doctor ſanctiſſime? Num forſan errori faues Ægyptiorum: qui, Pharaone ſuis ſtipato copijs contra Iſraelitas prodeunte, mariſque fluctibus cũ ſuis ſubmerſo, domi alijs rebus diſtenti, remanſerant, nec ob corporis infirmitates ſequi caſtra potuerant, regemque comitari, vt viderunt ſe ex occaſione infirmitatis, periculo mortis ereptos, quibus aras erigebant, & ſimulachra quæ velut ſalutis ſuæ auctores adorabant. Numquid Doctor piſſime huic patrocinaris errori, eos imitatus, dum gratias morbis agis, quos pateris, grauioribus? Nequaquam vt enim conſidero, illas à Deo mihi inflictas, in tantorum donorum æqui pondium, quibus me diuina dignatur maieſtas præuenire, ne ſuperbus ex illis euaneſcam, vel ne pedes prurient ad illicita; gratias ago ſemper gratus infirmitatibus. Non quod illas ſalutis agnoſcam auctores: ſed quia illis me detinet Deus ne lubricus labar in peccatum.

VIII. Hinc D. Gregorius morbis gratias agebat.

IX. Ex peccatoribus cõtinge, quod Balaã.

Tangit, vt opinor, S. Doctor, quod vtiì contigit Balaam, dum toto furore raperetur iumento reſidẽs, vt Dei populo malediceret incantator. Occurrit illi Angelus ſtrictoque gladio iumenti oculis obiecto, detinet procedentem, qui nec gladium aduertit euaginatum. Aſina verita mucronem, ſiſtit in via, nec vltra procedit: in illam Balaam ſtomachatur, fuſteque eius latera tundit, nec idcirco progreditur: Accreſcit illi fœnum in cornu, & inter anguſta parietis compulſæ mortem aſinæ minitatur. Tum illa ſeſſorem compellans ſic ait: *Quid feci tibi, cur percutis me iam tertio? Nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti vſque in præſentem diem?* Illico Dominus oculos aperuit præſtigiatori, viditque Angelum nudum ſtringentem gladium, quo detinebat aſinam, ne progrederetur, ne ipſe in cœpto itinere maledictus Dei populo proficiſceretur. Hunc videbis languidum, cuique carnem, qua velut iumento ſpiritus vehitur infirmam, & graui infirmitate collabentem: vnde iter ſuarum proſequi poteſt ambitionum, deliciarum, auaritiarum, odiorum: cur, ita robur vireſque corporis elanguerunt? Quid non agit ad carnem conuerſus venarum apertione, purgationibus, medicamentis, vnctionibus quaſi qui fuſte latera conuellat, eo quod obſtipa cœptæ fauere nolit intentioni: quaſi verò ipſa mora, ipſa virium inſtauratio, in carnis eſſet, quam ſic affligit, poteſtate. Chariſſime oculos aperi, perpende maturiùs, non carnem eſſe, quæ te detineat, ſed Angelum Dei miſeri-

Num. 22. 28.

cordiæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cordiæ, qui te deiicit infirmum, vt gradum figas, nec conceptum malitiæ facinus proſequaris: Concludo ergo num Deo ob inflictam benedicere teneatis infirmitatem quam immiſit quando in tuum effrœnis miſer cœcuſque currebas interitum.

Quando glorioſi palmam martyrij illuſtriſſimus conſequitur Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus (ſcriptore Villegas.) illius Deus gloriam innumeris præclariſque manifeſtauit miraculis: inter quæ hoc ceteris palmam eripit de cœco qui ad martyris orans ſepulchrum, eiuſdem interceſſione viſum recepit: egreditur de Eccleſia totus gaudio perfuſus ob receptum à Deo, martyris interceſſione beneficium. Occurrit illi vir nemine pietate poſterior, aitque: Cur tâ tâ tripudias lætitiâ ob recuperatum diuino fauore luminis beneficium? An noſti quod lumen illud oculorum iam obtentum, tibi futurum ſit ad animæ ſalutem? Quid ſcis, num forte cœcitate, quam patiebaris, Deus cohibebat, ne ſæpiùs idque grauiùs eum offenderes? Audi me & ex templo reuertere Chriſti martyri orationem oblaturus: illi ſupplica, vt hoc tibi à Deo conſequatur: quod ſi receptus modò viſus oculorum, in tuæ futurus ſit animæ detrimentum, illum denuò tollat: quod ſi nequaquam conceſſum tibi Deus conſeruet continuo beneficium. Salutis animæ ſuæ viriſſe multum auidus, viri conſilio ſanctioris acquieſcit, & ad D. Thomæ reuerſus mauſolæum orationem fundit, rogatque inuictum Chriſti martyrem id quod alter illi petendum eſſe ſuaſerat: finita autem oratione, mox iterum lumine priuatus oculorum obcœcatur. Credito frater mi: ſæpius animæ tuæ ſaluti longam expedire infirmitatem magnæque eſſe Diuinæ ſignum miſericordiæ, ſi te deprecantem mox ab illa non eripiat.

§. 13. Tenebatur. *Illi, qui te rogat vt pro febris intercedas liberatione, illud responde, quod Dominus Paulo, & Paulus Timotheo.*

31. Hinc inſuper colligo, quid mihi ſit reſpondendum, quando te viſitans infirmum, rogas ilico: Pater mi, pro me ad Deum intercede vt ab hac liberet ſoluarque calamitate. Hoc age, vt tui conuentus patres meritis inſignes, Deo ſupplicent, febris ſe calor nimius paululum remittat, habeamque leuiùs. Sæpe replico: Non hoc ego deprecabor, ſed ſi tibi conueniat, illâ te detentum nedum non ſoluat, ſed

I. Paulus infirmus ter rogās, et non exauditur.

ad animæ tuæ augeret incrementum. Mirum eſt (inquit D. Aug.) quod de D. Paulo dicebamus, qui graui afflictus calamitate, nec ſemel, ſed tertio Dominum rogat, vt hac eum liberet infirmitate: *Ter Dñm rogaui, vt diſcederet à me.* Et cum talis eſſet, vt ſuos non ſectaretur appetitus, nec mortis ſed vitæ ſemitas ambularet, Dei famulatu, ac proximi ſalute occupatus, reſpondit illi Dominus: Paule fer patienter, hoc namque tibi conuenit, ad virtutis in anima tua & conſeruationem, & perfectionem: *Virtus in infirmitate perficitur.* Illud hac explicat D. Aug. ſimilitudine: *Quomodo cum medicus apponit circa viſcera aliquod epithema moleſtum, & ardens, inde tamen curandus eſt ille, cuius viſcera tumebant, cum inde ille ardere cœperit, & cruciari medicamento, rogat medicum, vt auferat medicamentum: Medicus autem conſolatur, monet patientiam: quia nouit quam vtile ſit, quod appoſuit, ita rogat Paulus ter &c. ſed audi vocem medici: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Si tale D. Paulo detur reſponſum; ferat modeſtè, quia ſic eius conuenit ſaluti, quid tibi vis ego reſpondeam, niſi leoni expedire febres, vt geminas conuenire, catenas, compedes, chamum & frœnum, ſerui pedibus fugitiuis.

1. Cor. c. 12. 8.

II. Explicatur ſimilitudine. D. Avgv. In pſ. 130. cit. Tom. 8.

Terſus eſt ille diſcurſus D. Chryſoſtomi de morbis illis, quibus D. Timotheus chariſſimus D. Pauli diſcipulus, afflictabatur. Hoc primò ſuppone (monet Diu. Chryſoſtom.) Timotheum virum ſanctitate fuiſſe præcipuum, vtpote D. Pauli tanti Doctoris vberibus enutritum cuius tanta omnibus nota merita, vt ſolo verbo curaret infirmos & veſtis ſuæ contactu dæmones exturbaret. Suppone ſecundò: multis etiam & communibus laboraſſe infirmitatibus; ipſo teſte Apoſtolo: *Propter multas & frequentes infirmitates tuas. Non dixit, propter ægritudinem, ſed propter multas ægritudines, neque ſimpliciter, ſed propter infirmitates, ſed ipſarum continuationem ſignificans, dicebat, frequentes tuas infirmitates.* Suppone tertiò: illum præ ceteris in hac vita D. Paulo fuiſſe chariorem; quem vt filium ſuum ſpiritualem ardentiùs multò, quàm ſi carnalis fuiſſet, diligebat: minor etenim amor gratiæ ſpiritualis, totum longè ſuperat naturalem.

1. Tim. c. 5. D. Chr. Hom. 1. ad pop. To. 5.

Vnde mittens illum Philippos ciuibus ſcribit, hoc magni facerent tantum ad illos mitti diſcipulum; de quo tale fert ſuffragium: *Neminem* laboran*habeo tam vnanimem, qui ſincera affectione pro* ii ſuadoz *vobis ſolicitus ſit: &c. Experimentum autem eius* potien-*cognoſcite, quia ſicut patri filius mecum ſeruiuit in* tiam.

III. Idem Timotheo

Euan-

Phillipp. c. 2. 20. *Euangelio*. Frequentes illas indicauit ægritudines præclarus ille vir Diuo Paulo, poſtulans remedium. Reſpondet illi Apoſtolus: Fili mi perfer & obdura: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum & frequentes tuas infirmitates* vt legit D. Chryſoſtom. *Et multas & frequentes infirmitates tuas*; Miratur ipſe, miremur & nos. Glorioſe Timothee: cum gratia polleas infirmitates in alijs curandi graniores, illaſque hæc tui ſanet fimbria veſtimenti, qua contegeris, ſi modo infirmi vel illam contingant vt quid tu tuas minime curas, & à teipſo ſalutem incipis elargiri? Quis hoc tibi non obijciat: *Medice cura teipſum.* Sed ad magiſtrum tuum confugis Paulum, qui his intellectis patientiam tibi perſuadet, & ne tibi ſtomachus ampliùs debilitetur; ad modicam vini hortatur ſumptionem.

☛ 32 Siccine Paule vas electionis curare ſoles infirmos? Nonne tu ille, qui ſolo verbo ſuſcitaſti à mortuis adoleſcentem, & altero, paralyticum in greſſus ſolidaſti, & tertio febres depuliſti acutiſſimas? An non tanta hæc tua potentia, vt ſolo contactu ſemicinctoriorum tuorum, quibus nihil vilius, quemlibet ſanares ægritudine laborantem? Tuo vero filio chariſſimo, nullum ex his prodigioſis, ſupereſt: *Recipe*: vt tantum illum de patientia moneas, vt hæc illi ſic expedire confirmes? Vtique: hoc mihi *Recipe* cœlum præſcripſit, quod & ego præſcribo: non enim illi ſaniorem licet optare medicinam, præter illam, quam cœleſtis mihi medicus ordinauit. Sanctus eſt: Fateor, at iuuenis eſt, iuuentus autem multa ſalute hilaris, periculi ſolet eſſe grauioris: *Sciebat, quod difficilis res eſt iuuentus, quod inſtabilis fallibilis, labilis eſt, & vehementioris indiget fræni: pyra enim quadam eſt, exteriora apprehendens omnia facilèque, & celeriter ſuccendens. Infirmetur corpus, & non infirmetur animus &c.* Si cœlum igitur hoc illi præſcribit, qui cœlos ſubijt Diuo Paulo, iſque diſcipulo ſuo Timothæo idem præſcribat: quid vis ego tibi præſcribam: quid tibi vis dicam, niſi chariſſime: perfer & obdura: *Nam virtus in infirmitate perficitur.* His virtus ad perfectionem aſcendit, vitiumque diſſipatur: Quo tempore te cruciat infirmitas, pius es, de Deo cogitas orationes fundis, peccata confiteris, reſpondeſque meliora, & viciniora ſalutis. Bene tecum agitur: hoc intendit Deus, dum tibi languores permittit; illis te cohiberi: *Tenebatur.*

IV. Et ſic expedire indicabat, quia iuuenis erat. D. Chr.

V. Peccato- Optimè quadrat hic vt de liberis illis hoc intelligamus peccatoribus, quod paulò ſuperiùs attigimus, notatque Iob Deum facere ſibi chariſſimis: *Fecit ventis pondus*. Idque tantò meliùs, [Iob c. 28. 25.] quantò non videtur aliud propoſito conuenientius, quam iuuenem diſſolutum & effrœnem quinimo ſenem delirum, & inconſtantem, venti figura deſignare, de quo ſic Chriſtus: *Neſcis vnde veniat, aut quo vadat.* Qualis procurris, vt [Ioan. 3. 8.] ventus agitatus, ſalutis velox habenis, ſeditioſus, plateas, vrbemque tumultuarius perturbans vxorem inquietans, puellam exacerbans, exſpolians pauperem, honorum & inſatiabilis dignitatum ardelio? Nocte quadam Daniel ſtrato requieſcit, & magnum intempeſtiuè percipit fragorem, ſtrepitum vehementem, qui pelagus commouebat: quid hoc rei ſit, attendit: *Videbam* [Dani. 7.] *in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.*

O quot audimus ventos per vrbis ſtrata diſcurrentes, impetuoſos, ſibi inuicem aduerſarios, & quemque ſua prætenſione furioſum, qui tanto ſuarum ferantur impetu paſſionum, vt multa, multos, totamque perturbent inquieti Rempublicam? Quid remedij? Adijciat tibi ſarcoma Dominus: *Fecit ventis pondus*, quo tenearis: compedes, qui te conſtringant: Proficiat, amice, proficiat, ſic expedit: conſolatorem audi Spiritum S. qui ſic de his loquitur vinculis: *Vincula eius, alligatura ſalutaris.* His tua continetur ſalus, & hanc anima conſequitur corporis [Eccli. 6.] infirmitate, quâ te Deus hoc detinet lecto captiuum: *Quam multi* (loquitur D. Auguſtinus proſecutus argumentum) *ægrotant in lectulo innocentes, qui ſi ſani eſſent, procederent ad ſcelera committenda? Quam multis obeſt ſanitas? Latro qui procedit ad faucem occidere hominem, quantò melius illi erat vt ægrotaret? Qui nocte ſurgit ad fodiendum parietem alienum, quantò illi meliùs, ſi febribus iactaretur? Innocentius ægrotaret, ſcelerate ſanus eſt.* Hoc Deus vobiſcum agit hoc in mundo, quod Ioſeph cum fratribus ſuis in Ægypto. Proficiſcuntur eò fame languidi triticum empturi: Quibus ille, Proditores eſtis, inſidias ſtruitis, vos accuſo ſpeculatores: *Vt videatis infirmiora terræ veniſtis.* Abſit Domine: nihil machinamur mali: Omnes vnius patris filij ſumus, cui ſocius remanſit frater natu minimus. Hoc quæro, hoc expoſtulo: replicat Ioſeph (erat autem Beniamin eius frater vterinus, ex eadem matre Rachel, quos ambos tantummodo pepererat) & donec huc eum ſaluum adduxeritis, vnus ex natu maioribus in vinculis captu teneatur. Idcirco mandat Simeonem vinculis, carcerique mancipari: *Tenebatur in vinculis.* En tibi illud

VI. Hoc Deus cum peccatoribus agit, quod Ioſeph cum fratribus ſuis. Gen. 42. 34.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illud Euangelij *Tenebatur*. Fratres ſunt germani corpus & anima, caro, & ſpiritus. Maior natu corpus eſt: quia primò formatum; & ex eo quod
1.Cor.15. dicat Apoſtolus: *Nō prius, quod ſpirituale, ſed quod carnale*. Quem autem Deus vnitum ſibi deſiderat, minor natu eſt, ſpiritus tuus, vt vnum quid cum illo per amorem fiat & charitatem. Illum procul ablegas à Deo, vbi namque tuam procul detines animam? in altera; tu vero, in tuis leuitatibus, in tua tu facultate & auaritia, in medio tu mundi, honorumque ambitione? Vt autem ad illum, fratrem hunc adducas minorem, captiuum detinet natu ſeniorem, corpus ſcilicet & carnem, compedibus febris, podagræ doloris, afflictionis: & hoc intendit, vt Apoſtolus in alte-
1.Cor.5.5. ro: *Quem tradidi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit*.

### §. 14. Magnis febribus. *Anima tenetur infirma febribus amoris inordinati: hic namque malus eſt ignis, de quo D. Ioannes.*

33 ALiud quoque cæleſtis nobis indicat medicus, ex ſententia D. Ambro. in hunc locum: *Tenebatur magnis febribus*: illis etenim corporis febribus, animæ febres deſignat; quibus tenetur infirma, omnes namque eius ægritudines febres ſunt: *Æſtus diuerſarum cupiditatum*. Nemo negat, quin calor corporis, calorẽ ſignificet animæ. Nihil tam vitæ corporis neceſſarium, quàm cordis calor, ita vt tanto vita duret tempore, quantò calor perſeuerat. Et hoc maximè ſcimus euidens eſſe ſignum quempiam occubuiſſe, quando corpus frigore conſtrictum agnoſcimus, & tunc patet omnino extinctum, ſi verò vel remiſſum ſeruat calorem, de hoc pronuntiamus, quòd adhuc in viuis ſit, vel ſaltem non pridem mortuus. Hoc autem intelligitur, quando calor eſt temperatus, cum illo namque & per illum valetudo conſeruatur, ex eoque bona procedit corporis diſpoſitio, qua vegetus homo, ſapidè comedit, bibit, digerit, dormit, agilis eſt & omnibus ſuis aptus actionibus. At ſi calor hic fuerit exæſtuans, febris eſt, & ea eſt, quæ corpus incendit, alterat pulſum, caput perturbat, oculis grauedinem, pedibus tremorem & concuſſionem, nec non in toto cauſat corpore fatigationem, edendi perditur appetitus, guſtus euaneſcit, & nullum ſuis congruum eſt membrum functionibus.

I. Calor vitæ neceſſarius, ſed temperatus.

Quod eſt in corpore calor, hoc eſt amor in anima. Eſtque hic vitæ adeo neceſſarius, vt ſine illo, nedum homines, ſed nec ipſa viuere poſſunt animalia. Si homo ſeipſum non amaret quomodo curam ſui gereret? Amorem tolle filiorum, quis illos educabit? quis eorum feret non moleſtè moleſtias? ſi bona non diligerent terrena ſibi neceſſaria, qua ratione tanto procurarent ſibi illa ſtudio? Hac de cauſa, natura prouida mater, hunc cordibus amorem inſculpſit naturalem, quem dicimus, nedum in hominibus ſed & in beſtijs ad ſui conſeruationem requiſitum, quo parentibus inquietam in nutriendo filios ingerit fouetque ſollicitudinem, quid agit in pullorum educationem hirundo? quàm anxia huc illucque peruolat eſcam quæſitura? quàm diligenter ouis ſuccurrit agno? Leones, tigrides, quis dicat quo ſtudio nutriant, propugnentque catulos? Vrſus vorax illis congerit, quidquid inuenerit, illo non veſcens, quo poſſunt catuli ſuſtentari. Mirare gallinam glocitantem, quæ quod ſcalpendo granum inuenerit, non ipſa comedit, vt illo pulli nutriantur: nec non & ipſa columba, quod roſtro deglutierat, denuo reuomit, quo pullis proponat.

II. Hic animæ ſignat amorem.

III. Amor neceſſarius.

Adeo neceſſarius eſt hic amor, ad vitæ totius vniuerſi, conſeruationem vt etiam in creaturis, quæ vita carent, auctor naturæ ſurdum inſtilauerit amorem: properſiones nempe naturales, & ad propria loca inclinationem, quibus ſaluæ conſeruentur: quas philoſophi dicunt: *Pondus naturæ*. Eſt autem hoc ita in propatulo, vt ipſi philoſophi Stoici definierint amorem eſſe procuratorem generalem, quem auctor naturæ cunctis prouidit hominibus, quinimo creaturis omnibus; vt ipſe illis proſpiceret, perpetuus eſſet procurator, eorumque ſuſciperet curam, quæ conſeruationi conducerent, ac conſiſtentiæ creaturarum. Eſt igitur vitæ in corde noſtro amor neceſſarius. Quando hic ordinatus eſt & temperatus, nec non illa bona diſpoſitione commendabilis, quam declarat D. Bernardus vt homo plus Deum quàm ſeipſum diligat, & proximum ſicut ſeipſum, temporalia minus quam ſe: proh quam proſpera gaudet, floretque valetudine? Hoc amore viuens, omnia diuino poſtponit obſequio, Deique ſeruat legem: oneroſus nulli, temporalia appendit moderatè, ſuoque loco æſtimat omnia.

IV. Amor dicitur pōdus naturæ, & creaturarum procurator.

Sponſam aduerte cœleſtem hoc ordinato viuidá amore, Sponſi cœleſtis opere: *Ordinauit in me charitatem*. Quam pulchra, quam vegeta, quá robuſta, quæ cunctas valeat acies inimicas dæmo-

V. Amor ordinatus in ſpōſa. Cant. 2.4.

dæmonis, mundi, carniſque ſuperare: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Per membra ſingula ſponſus ſponſam contemplatur & omnia gaudet optimè diſpoſita: Caput meditationibus in cœlum vſque aſcẽdentibus, vt capræ de monte Galaad. Oculi ſimplices ſunt, vt columbarum, labia feruenti oratione, velut cocco tincta, &c. quinimmo & ipſa de ſe profert teſtimoniũ: *Ego murus, & vbera mea, quaſi turris, ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacẽ reperiens.* Pax effectus eſt amoris benè ordinati, q.d. ex ordinata in me, ſponſi opera, dilectione, cor meum gaudium pacis impleuit interioris eminentiſſimum. Pax nihil aliud eſt, quàm multorum in vnum conuenientia. Cuncta hæc poſſidet anima amore feruens ordinato.

Cant. c.8.

VI. Similitudo.

Quando cytharæ chordæ vnanimi reſonant proportione, vt nec vna altiori quàm par eſt audiatur ſono, nec aliæ, quàm muſica requirit, inferiori & quæque debitam ſeruat cum prima conuenientiã, quàm grata, quàm ſuauis inſonat harmonia? Talis eſt anima, in qua, velut in cythara, multæ ſunt & variæ chordæ, quæ muſicã ſonumque conficiunt. Etenim habet anima, multos varioſque affectus, quibus amamus Deum, noſipſos, & proximum quando prior amor, ſcilicet Dei reſonat altiſſimè, hoc namque fit oportet, vt conuenienter a ſe ima procedat, & huic conformiter amori noſtri, & proximi regulatur: intellige me; quãdo principaliter primoque loco diligimus Deũ, noſtrique ad Deum dirigitur amor, ex ordine, quo nobis præſcribit Deus, nec eum vltrogreditur. Amor etiam, quo diligẽdus eſt proximus, ſicut noſipſi, eſt in ordine ad Deum, tertium quoque deſideramus in quantum conducunt quo Diuinæ Maieſtati ſuæ ſeruiamus alacriùs, tunc omnia ſunt ritè diſpoſita, reſonatque in anima harmonia quædam cœleſtis, & diuinis auribus acceptiſſima. Hæc eſt illa pax, de qua ſponſa, quam in illa produxit amor bene ordinatus, quem illi cœleſtis ſponſus inſpirauit. Hoc quoque eleganter expoſuit D. Paul. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas nõ æmulatur, non agit perperam, non inflatur &c. omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat omnia ſuſtinet.* Et iterum: *Qui diligit proximum legem impleuit, plenitudo legis eſt dilectio.* Hic eſt ille amor vitæ conſeruatiuus: ſine quo nulla poteſt eſſe vita: iam enim dixit ille amoris diſcipulus: *Qui non diligit, manet in morte.*

VII. Amor ordinatus cythara eſt ſuauiſſima.

1. Cor. c.13.4. Rom. 13.10.

1. Ioan. 3.10.

☞ 34 Calor exæ-

Sicut igitur ille qui temperatum, beneque diſpoſitum calorem habet naturalem, congrua habet omnia corporis membra functionibus, ita vt nullo poſſit ambulare negotio, ſedere, comedere, dormire: &c. Similiter & ille, quia amorẽ habet cœleſtibus contemplationibus idoneum; perfacile eſt illi pauperibus erogare eleemoſynam, indigis ſuccurrere, perbelle ſapit ille virtutum exercitium; Si quando vero calor ille vltra debitum accenditur; ilico febricitat anima; quando tuas feruentiùs amas, quàm Deum, voluptates; quando tanto tuum proſequeris amore lucrum, & delicias, vt ob hæc ea quæ Dei ſunt, & proximi negligas. Hinc omnes animæ ſcaturiunt infirmitates, omnes ſunt febres, eſt etenim amor exceſſiuus, & calor nimius, res vltra quàm par eſt diligere. quod vnico verbo comprehendit D. Auguſti. *Omne peccatum procedit ex amore male inflammante.*

ſtuans amor eſt immodicus.

D. Aug. Tract. 12. in Ioan. Tom. 9.

Quære ab aquila illa cœleſti, num in mundo ſint infirmitates, & tantas eſſe tibi reſpondebit, vt totus ſit mundus hoſpitale languentium: *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Perpendas cum D. Thoma verbum iſtud: *Maligno,* quid credis eſſe *Malignus*? *Malus ignis;* ignis ordinatus: q.d. totus mundus igne ſeu calore laborat malo. Quis autem eſt ille calor? noſtræ concupiſcentiæ amor immodicus: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia eſt.* Quid eſt concupiſcentia? profuſus amor. Omnes mundi infirmitates, febres ſunt, diuerſæ licet ſpeciei: quia vel ſunt honoris, bonorum, aut voluptatum amor illicitus. Hinc omnes profluunt infirmitates. Optime nobis hoc exponit Apoſtolus (teſtatur D. Auguſtinus) qui prædicere volens, qua ratione in hoc mundo creſcerent infirmitates, ſic in ſuo ſcribit Timotheo: *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus, inſtabunt tempora periculoſa.* Quid futurum in illis? multæ infirmitates. Et quales hæ? *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſcelesti, ſine affectione ſine pace, criminatores, incontinentes immites ſine benignitate proditores, protervi inuidi &c.* faueat mihi Deus: quales litaniæ, ſed non Sanctorum! quot infirmitates! nullum non xenodochium, quod tot ſpecies alat infirmorum: *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi elati &c.* Dic nobis (amabo) ſanctiſſime Apoſtole: quæ harum omnium origo infirmitatum? Ex febribus, ex intemperanti amoris æſtu, quo homines exuruntur, nimij ſui ipſorum amatores Narciſſi. Viden' quod illud vt radicem, poſuerit primicerium: *Erunt homines ſeipſos amantes.* Proinde ſicut qui febribus laborat, illis ita inflammatur, vt nihil aliud cogitet, quàm ſitis extinctionem, quam illi nimius

IX. Amor inordinatus malus ignis eſt.

1. Ioan. 2.16.

1. Tim. 3.

D. Aug. Tract. 4. in Ioan.

2. Timoth. 3. 1.

X. Ex amore ſui ipſorum nalcitur ...

mius

minus ardor infligit; ita peccator nimio amore exardeſcens, nihil meditatur aliud? quàm quo poſſit ſuis ſatisfacere deſiderijs, quæ nimius ille amor in eo ſuſcitat ardentiſſima. Quid aliud auarus animo recogitat, amore diuitiarum incaleſcens, præter continuum earum incrementum? vbi pecunias impendat quo minus extrahat, maius attrahat? quomodo domi nummorum faciat omnium depoſitum? & quantumcumque habuerit, numquam ſe fateatur eſſe ſatiatum. Impudicus, qui viuo inardeſcit igne concupiſcentiæ: de quo cogitat, quem ſibi imaginatur, de quo loquitur, agit, negotiatur, niſi quo ſuas poſſit lubricus implere voluptates? quibus medijs? quo ſtudio, qua congrue diligentia, & ſuum numquam explet appetitum quid animo reuoluit honorum ſitientiſſimus, ignitus carbo flammis ambitionis, & inordinatis dignitatum deſiderijs inardeſcens, niſi qua ratione primas occupet honorum cathedras, officia primaria illa iam poſſidens currit exanimis, & inquietus alijs inhians dignioribus, numquam ſuorum vas impletur appetituum. Hæc omnia ex amore prodeunt incompoſito: *Erunt homines ſeipſos amantes.* Malum grauiſſimum.

§. 15. Magnis febribus. *Quando febres magnæ ſunt, ipſæ tenent infirmum, & rabidam excitant ſitim, ſicut in Theotimo.*

35 Malæ ſint licet omnia febres, ab illis tamen te Deus præſeruet, quæ ſint adeo magnæ & ardentes, vt ipſæ teneant peccatorē, de quo dicere liceat: *Tenebatur magnis febribus.* Quando febris calor primum inardeſcit, & modicus eſt, illam tu tenes, & ais: habeo ſeu teneo febriculam, quam pedes perfero, ſi verò maior fuerit & ardentior, illa te lectulo detinet proſtratum. Domine, febris me hic detinet, quæ mihi nec guſtum, nec comedendi appetitum, nec vires, nec quietem, niſi millenis illuſionibus interruptam, nec ſurgendi robur cōcedit quin extemplo debilis corruam. Quando in te peccatum incipit, tu tenes illud. Tu ad ædes diuertis talis: tu negotia tu commercia pecuniarum agitas: at dum grauius incaleſcit, ipſa te detinet, vt dicas, vere Domine, talis optarem conſortio valedicere, ſed niſi illam videro nequeo viuere: vellem aliena reſtituere, ſed dum hæc præmeditor, deficiunt vires, languet animus, brachia collabuntur.

I. Febres magnæ, amor valde incompoſitus.

O magnæ febres, cum tē adeo teneant languidum vt totus incaleſcas, ſitique exareſcas. Eleganter hoc expreſſit ſapiens ille Rex amicus Iob Baldad Suhites, illorum quemdam deſcribens: *Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium ſuum.* Arctatus ingemiſcet greſſibus vires deficient, & doloroſis ipſum affliget anguſtijs ſuum ipſius conſilium. En tibi (loquitur D. Gregorius) peccatorem, criminibus irretitum, qui in tantum illis afficitur, vt quo poſſit euadere vires illi languere videantur: *Vt etiam, cum ad bona opera redire voluerit, vix poſſit & præcipitabit eum conſilium ſuum.* Quàm anx'è talis quiſpiam infelix cruciatur diſcurrēs, diuerſa agitans conſilia, ad grauiorē ſui cruciatum. Si talem manu miſero, mea mihi perditur voluptas: niſi illam dimiſero, mea perit anima. Si rapta reſtituo, pauper in mundo & omnium indigus viuo: niſi reſtituero, numquam regni cœlorum mihi patet introitus. Iacet hic miſer, vt nec viribus polleat; quibus ſeipſo fortior gradū figat quo de peccato proſiliat, & ſuo ſe torquet conſilio. Vnde hoc? quia à peccato tenetur illaqueatus: *Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat.* Tanta eius eſt infelicitas: vt retibus pedes ſuos irretierit, foraminibuſque intorſerit: hæc namque maculæ retium appellantur. Ab auibus deducitur metaphora, quæ ſtultulæ incidunt in laqueos, quod ſi pedes retium maculis intricauerint, illis ita implicantur, vt etiamſi voluerint, conenturque quantum potuerint, laqueis captæ detineantur.

Iob. c. 18. 7.

D. Greg. L. 14. mor. cap. 4.

II. Similitudo.

Teipſū hic, infelix intuere in venereæ laqueos incidiſti conuerſationis, vtrūque pedē illaqueaſti voluntatem ſcilicet & intellectū, pedes animæ: nec aliud meditaris, nec aliud intendis per diē, nec aliud nocte reuoluis nec aliud tibi ſapit, niſi de his cōfabulari: hic tui ſigūtur pedes, tua ſolcitudo, nūtia tua, tuæ cogitationes. Tu vero qui in auaritiæ corruiſti retia, laqueus etenim hic eſt diaboli, teſte D. Pa totus tuus occupatur intellectus, afficitur voluntas, tota tua diſtenditur cura, medijs cōquirēdis, quibus pauperi ſua detrahas, & tuas augeas iniuſtè facultates. Plane ſtatus miſerabilis: & qui in eo verſatur, tētus eſt & detētus: *Tenebitur plāta illius laqueo, & exardeſcet cōtra eū ſitis. Abſcōdita eſt in terra pedica eius, & deſcipula illius ſuper ſemitā.* Vides à lōge paſſerē qui volare conatur, alas cōcutit, & quaſi ſubſilit, in eodem tamen loco remanet, & ais, laqueo, in quē incidit, captus detinetur pedibus, & illum miſer non vidit, etenim ſub terra latebat abſcōditus. Quoties alterum intueris, quo conamine

III. Peccatū eſt laqueus.

1. Tim. c. 6

Iob. ca. 6.

IV. Similitudo.

V. Sæpius ſed fruſtra conatur peccator reſurgere.

laboret vt ſe peccatis extricet, quando ſæpius in ſe reuerſus, ingemiſcit: Heu mi Domine, quæ eſt vita mea? quid mihi tandem euenturum? Iam me video & præuideo corpore & anima periturum. Item & alterum; bone Deus: quando tandem mundi me læ abor immemorem eius perdidero memoriam, & animæ vitam ſollicitus? Pedibus, manibuſque conatur, volitat, & eadem tamen ſemper hæret infauſtus conditione. Dicito mihi: illone, quo laboraſti ſtudio, pellicē demiſiſti? Num aliena reſtituiſti? num ablatum honorem reſarciſti? Num iniurias remiſiſti? Non miror: etenim animæ tuæ pedes peccati rete complicauit: *Tenebitur planta illius laqueo. Tenebatur magnis febribus.*

Nec obſtupeſcas, quòd cum febres ſint adeo feruentes excitent in te ſitum inſatiabilem: *Exardeſcet contra eum ſitis.* Qua ſiti exareſcis, deliciarum, voluptatumque libidinoſe? qua tu diuitiarum amator inſatiabilis? qua tu dignitatum anhele conquiſitor? quæ nullam tibi requiem concedunt, ſemper alas concutis, hac illacque diſcurris, refrigerium quæris: aquas inclamas & aquas: cumque te nullus ſatiare poſſit, illis ipſis quas habere potes, ſitis amplius exardeſcit. Quid hoc, Domine? nec rete conſpicio, nec me ſentio irretitum. Heu te miſerum: *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.* Huic viri ſtudet venator, vt decipulam abſcondat: ſi namque volucres, lupi, vel feræ illum conſpicerent; longiùs aufugerent: iam enim hoc ex ſapiente habemus: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Sub eſca pedicam quis abſcondit, vt volatu deſcendens paſſer, ad ea quæ videt, laqueo, quem non videt, hæreat implicatus: ea de cauſa: *Decipula dicitur à decipiendo* (colligit D. Grego.) & hoc modo feras, paſſeres, lupoſque comprehendis, & ſorices ea quæ dicitur muſcipula.

VI. Sitis peccatorum inexplebilis.

VII. Rete diabolus abſcōdit. Prou. cap. 1. 17.

D. Greg.

☞ 36 Heu te quarta luna genitum: te namque decipit diabolus, & vt glirē habet; muſcipula ſua deluſum comprehendit: quid moliris glirē capturus? fruſtum appendis caſei ſicci, perſumati, aridi, glirique veſcendum offers: eius odore tractus, nihil aliud attendens, muſcipulam incurrit, & quò caſeo veſcatur, deluſus captuſque detinetur dic illi, muſcipula egrediatur. Hoc modo te deludit diabolus formoſam alterius tibi faciē offert, & ſæpe fumis obfuſcatam, ſaltem ceruſſa fucoque perlitam. Alteri lucri vile quid temporalis, cum voluptatis, commodique apparentia. His te decipit, ſceleribuſque ita illaqueat vt ipſe, te captum egredi non poſſe, fatearis. Heu mihi Domine, heu quoties me ab iſta ſtudui abdicare ſocietate, ſed nequeo ſæpe ſæpius conatus ſum aliena reſtituere, ſed numquam vires ſuffecerunt executioni: Veritati parcis falſiloque, indubie potes; Dei roboratus auxilio: & quo tempore vita tibi eſt ſuperſtes, liberum tibi remanet arbitrium: at appareat, quàm languidæ ſint tibi vires ad virtutis ſemitam percurrendam: *Arctabuntur greſſus virtutis eius*, vt te non poſſe, tibi videatur. Heu ſtatum infelicem!

VIII. Diabolus nos vt glires decipit.

Talis ille erat infortunatæ ciuitatis, de qua ſic vates Hieremias: *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* Omnes cordis occupat ſinus, adeoque toto corde firmiter extenditur, & agglutinatur vt nihil in eo ſit, peccato non infectum. Hoc te tibi detinet, & inſtar ardentiſſimæ febris exurit, ſitimque prouocat inextinguibilē. Ne credideris (monet D. Ambr. in hunc locum) remiſſiorem eſſe ſitim quam in anima febris illa producit ea, quam excitat in corpore febris ardentiſſima. Numquā æſtuoſis quemquam vidiſti febribus laborantem, qui ſciat licet, ſe potu periculo vitam exponere pectori tamen aquæ poculum, ſi poſſit, adſtringit? & quas molitur inuentiones, vt omnes incurioſi cubiculo egrediantur vt ſi cantharum viderit, illum citius apprehendat, nec illum remorentur, qui eius deſiderant vitæ prolongationem?

Hierem. 17.

IX. Febris animæ ardentiſſima.

Tu iudica, an non hæc multo ſtudioſius agat, qui febribus animæ corripitur? *Febre libido flagrantior eſt, grauiuſque præcipitat, & inflammat* (ait D. Ambroſius.) In cuius confirmationem exemplum adfert viri celeberrimi, qui talis eſſe ſuis deſtitit impudentijs: Theotimus vocabatur. Grauiter oculis laborabat, illi medici conſulebant, quod ſi cum vxore rem haberet, omnino excœcaretur. Die quodam, carnis obediens illecebris, voluit eam agnoſcere: *Sciens & prudens, quod eſſet oculos amiſſurus; priuſquam conueniret vxori, in ipſo æſtu feruentis cupiditatis: Vale (inquit) amicum lumen;* & cæcus permanſit. Attende num magna ſit, & potens, inhoneſtæ febris impudicitiæ: dices multum hoc fuit, quòd homo rem adeo pretioſam ac charam, oculos ſcilicet expoſuerit, tam breuis, tamque inhoneſtæ cauſa delectationis. Hoc ne ignoras, quod cœleſtes tibi præmonuerunt medici, quod ob aliam talem voluptatem, lumen amittas gratiæ? diuinæ dona Sapientiæ? Dei amicitiam? Animæ viſum, imo vitam? nec aduertis, quod ſi ille, ob momentaneam illam voluptatem corporis expoſuerit oculos,

D. Ambr.

X. Exemplo probatur.

XI. Applicatur exemplum ob peccatum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ob minorem, & minus licitam, animæ veſtis vitæ perpeti naufragium? quid tibi perſuades, quod agas hominum infeliciſſimè, quando talis frequentas domum, quam hoc ipſum dicere: *Vale amicum lumen?* Æterne Deus, qui lumen es gratiæ, & gloriæ diuinum, Vale fauſtis auibus: ſine te namque quæro obcœcari. Dei gratia illuminatrix animæ, vade in pace, diuinis enim tuis renuntio ſplendoribus. Vos cœlites, Angeli Dei, martyres inuicti, ſacroſancti Apoſtoli, quinimo tu Virgo Virginum puriſſima: æternum viuite: pluris enim triſtem hanc & momentaneam facio voluptatem, hoc vile lucrum, quam veſtra beata frui ſocietate. Tandem hoc, Deo loqueris, quod infidi illi, de quibus Iob: *Tenent tympanum & cytharam &c. Ducunt in bonis dies ſuos &c. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

Iob 21.12.

Quis hoc ſapiens credat? hic tuarum perſpicies febrium intenſionem. Væ tibi miſero, quàm te video grauiter infirmatum. Amicos tibi concilia ſequeſtros, qui pro te intercedant: illi namque ſummopere tibi ſunt neceſſarij: Cœleſtes inuoca Sanctos Latriis: roga ſacerdotes, miſſam in tui celebrent hic remedium: *Quiſquis ſe moleſtiâ* (conſulentem audi D. Ambroſium) *huius ægritudinis fatigari cognoſcit &c. roget ſibi patrocinio eſſe ſanctos & iuſtos viros in Eccleſia, vt veram à Domino ſanitatem animæ mereatur*, Hi namque ſaluti huius mulieris fuere principium: *Rogauerunt illum pro ea.*

D. Ambr. In Luc. Tom. 5.

**§. 16. *Licet infirmitas peccati talis ſit, vt eâ meritum perdatur rogandi Deum pro ſalute, illam à Domino ſancti ſua impetrant interceſſione.***

57 R*Ogauerunt illum pro ea.* Licet te tuorum lugeas grauatum ſcelerum infirmitatibus (hortatur D. Ambroſ.) ſanctos tuos ponito interceſſores, illi Deum pro te deprecentur. Quantumlibet namque grauis tua ſit infirmitas, eſt tamen ſanctorum interceſſio ſalutis obtinendæ præſtantiſſimum efficaxque remedium. Quod enim tuis non mereris criminibus, hoc illi ſuis à Deo meritis, multiſque diuinæ maieſtati præſtitis impetrant obſequiis. Hoc arguris Iob verbis indicauit, quibus ſub eorum figura qui moleſtiſſimis opprimuntur febribus, pulcherrimis deſcribit pigmentis peccatorem, quem quaſi poſſidet ſuorum febris ardentiſſima criminum, quique illâ quaſi ligatus ac detentus ſuorum iacet proſtratus lecto vitiorum: *Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & anima illius cibus ante deſiderabilis. Tabeſcet caro eius & oſſa, quæ tecta fuerant, nudabuntur, Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.*

Iob c. 33.20.

I. Deſcribũtur animæ febri laborantes.

En tibi, quàm bellè deſcribat hâc febri moleſtatos: qui iam corruptum ad omne bonum habent appetitum, nauſeat illis deſideratiſſimus animæ panis diuina ſcilicet oratio, vel ſanctiſſimum altaris Sacramentum, aut diuinæ legis obſeruantia (de quibus ipſa veritas Chriſtus apud Ioannem hunc eſſe teſtatur animæ cibum) omnia ſtomachum prouocant: corpus eſt illis miſerrimis afflictum infirmitatibus, ex nimia contractis impudicitia, nec emendantur, donec illis corporis oſſa denudarunt.

Ioa. c. 4

Iam eo deuenit corruptio, vt ei quaſi vitam abripiat, & animam perpetuæ ſubijciat perditioni: illa namque laborantes grauedine, proximi ſunt adeo gehennæ, vt nulli viciniores. Heu ſortem deplorandam! Num illis aliquod ſupereſt remedium? qui nec ſemel animum erigunt, vt Deum pro ſe etiam atque etiam interpellent, illis ſua benignus indulgeat peccata; qui nec vigent viribus, quibus, animæ ſalutem aſſequantur. His non obſtantibus fide credimus, illis ſperari poſſe remedium: *Si fuerit* (inquit Iob) *pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem, miſerebitur eius, & dicet: libera eum vt non deſcendat in corruptionem.* Et inferius. *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, reddet homini iuſtitiam ſuam.*

Iob 33. 23.

II. Pro illis Sãcti intercedunt.

Vir iuſtus, & meritorum ſuppellectile diues, in S. Scriptura vocatur Angelus, ob vitæ morumque puritatem, nec non, quia in illa ſtudet Angelis aſſimilari. De Sacerdotibus loquens Dominus, de illis pronuntiat quod ſint Angeli Dei. Et per prophetam de Ioanne Baptiſta teſtatur: *Ecce ego mitto Angelum meum*, dicit, quod ſit *Vnus de millibus*, qui aſſiſtunt ei: quia Sanctorum in Eccleſia numerus eſt millia millium, hoc etenim Deus Eliæ vati fatebatur, quando ipſi de paruo querebatur amicorum Dei numero, quaſi ipſe ſolus Deo ſeruiens in mundo remanſiſſet: *Remanſi ego ſolus*, Abſit hoc, inquit Dominus: *Dereliquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum &c.*

Malac. 3.1.

3. Reg. c. 19. 14

Noueris mihi amicos ſupereſſe ſanctiores pluſquam millenos quod ſi in domo Simonis ſocrus eius febribus ægra decumbat, in illa ipſa plures ſunt optata valetudine confortati. Illi igitur Sancti, illique Angeli, ſi Deo ſupplicent, ſi apud Diuinam intercedant Maieſtatem, ſi rationes obij-

ciant, ob quas hominibus velit miſereri, ſi Deo proponant, illos eſſe figmentum manuum ſuarum, & quod in has inciderint animæ infirmitates, ex naturæ labilis accidiſſe fragilitate. Si inſtanter vrgeant apud Deum, vt illis ex hoc miſerando eripiat culpæ ſtatu, nullo labore hoc à Deo conſequentur, præbebitque ſe Deus peccatoribus benignum, placabilem ſummumque benefactorem.

III. Moyſes pro populo apud Deum intercedit.

Numquid æſtuoſiſſimis laborabat febribus Dei populus, quando velut mente deliri, vitulum erexerunt aureum, & vt Deum adorauerunt: Voluit illos Dominus in tanti criminis iuſtum ſupplicium, exterminare, verumtamen ilico ſe terreſtris ille Sanctus oppoſuit Angelus, Moyſen intelligo: hic Deo rationem propoſuit, qua furorem ſuum, quo in populum exardeſcebat, mitigaret, & propoſitum illos perdendi ad ſuauiora conſilia converteret: cum enim eos ex Ægypto in manu excelſa & brachio tuliſſet potenti, ſuo honori per hoc optimè conſuleretur, ſi illos impune conſeruaret: cumque illis iuraſſet quod eos in terram eſſet promiſſionis introducturus, diuini verbi conueniebat auctoritati, illud operibus implere. Fuerunt autem hæ rationes à Moyſe pro populi defenſione Deo propoſitæ adeo prægnantes, vt iram ſuam contra populum Deus colligeret. Quibus errorum tenebris non inuolutus viuebat Auguſtinus? & quibus pectus eius concupiſcentiæ flammis, vt febribus exardeſcebat? Nihilominus, patuit quantum apud Deum ſanctiſſimæ matris ſuæ Monicæ valuerit auctoritas, pro filio namque meritis ſuis intercedens Deum vnice rogabat, quatenus illum clemens & miſericors, in ſuam admitteret gratiam, & ab igne febris adeo periculoſæ, qua tenebatur, eriperet incolumem. Et de hoc innumera feruntur exempla.

IV. Et D. Monica pro filio Auguſtino.

V. Diuus Paulus obſecrat vt Epheſij pro eo rogent. *Ad Epheſ. c. 6. 16.* D. Chr. *Li. 2. de orando Deum Tom. 5.*

Verum enim vero quid non à Deo Sancti impetrabunt, ſi apud Deum pro peccatoribus intercedant? Stylo perpolito huius aſſignat, ponderatque ratione n D. Chryſoſtomus quam pro ingenij ſui acumine ſæpius repetit. Illud Apoſtoli perpendit, quo populum monet Epheſinum, cui prædicabat: *Obſecratione pro omnibus Sanctis, & pro me vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere myſterium Euangelij.* Adeſt Diuus Chryſoſtomus & Apoſtolum interrogat: *Quid ais Paule? quis miles auſit pro magno duce interpellare Cæſarem? & nullus dux tam charus eſt Cæſari, quantum Paulus Chriſto.* Si nemo Cæſari tam charus, ac Paulus Chriſto, quid populum, cui verbum Dei proponis, interpellas, vt ij qui gregarij ſunt milites, pro te apud Chriſtum veniant interceſſores, ſi hoc ratio non ſuadeat, (a) vt pro ducemmo pere à Cæſare dilecto apud Cæſarem miles interueniat? *Quomodo ergo nobis imponis, vt pro te Deum rogemus, qui tanto amplius apud eum potes, quanto nobis ſanctior, & illi gratior?*

(a) S. ... [margin note cut off]

Quid amplius. D. Petrus præclarus ille & primarius Eccleſiæ princeps, ille ipſis cœlis illuſtrior, fugit de carcere, & ſine notâ temeritatis, aut excellentiæ ipſius, auctoritatiſue iniuriâ ſubiungit D. Lucas: *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Vt nos* (ſic docet D. Chryſoſtom.) *diſceremus quantam vim in cœlis obtineat deprecatio vt videlicet Paulum, ac Petrum à periculis liberaret, columnas Eccleſiæ, Principes Apoſtolorum, murum orbis terrarum, commune præſidium terræ, & maris ſi orationes populi, in quo ſunt homines communes, & peccatores, tantum valent probis, quantum omnino erit efficax pro peccatoribus.* Attamen quis objiciet (objicit ſibi D. Chryſoſtomus) hanc petitionem ex Pauli ortam humilitate. Nec hoc diffiteor attamen & ideo aſſerimus: quia ſynceré ſperabat, quod ſuorum ſuffragio ſubditorum, hoc quod rogabat, eſſet obtenturus, & neceſſarium eſſe indicabat, illi miniſterio, ad cuius illum Deus elegerat, executionem.

VI. Eccleſia orat pro D. Petro. *Act. 12.* D. Chr.

Hæc omnia ſolidius confirmat idem Chryſoſtom. de hoc quod ſcribit Apoſtolus Philippenſibus: *Scio quia hoc mihi proueniet ad ſalutem per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritus Ieſu Chriſti, quaſi ſubminiſtratio Spiritus Chriſti adiuncta ſit orationibus veſtris pro illo.* Quinimo & ipſe Chryſoſtom. Apoſtolum imitatus: Ser. *De regreſſu eius de Aſia Conſtantinopolim*, quæ incipit: *Moyſes magnus.* Sic loquitur: *Veſtras fratres, orationes requiro, orationes veſtræ murus mihi & munimen ſunt, & noli dicere: Ego languidus ſum, quomodo potero pro Sacerdote orare? Audi Scripturam docentem: oratio autem fiebat continua & Eccleſiaſtica oratio ſoluit vincula Petri, & Pauli dilatauit prædicationis fiduciam. Audito ergo nunc fratres, ſi ſancti ita affectuose petunt orationes eorum, qui ſancti non ſunt, eos adhibent precatores, & ſperant ſe eorum ſuffragijs obtenturos, quæ ſibi expediunt, quantò magis peccatores ſuffragia debent expoſcere Sanctorum.* Hinc colligere mi frater, quantâ tibi ſit diligentiâ ſudandum dum ali qua te premit neceſſitas, vt ad Sanctos confugias vt ipſi pro te precatores intercedant: *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Non enim debet eſſe, quam petis tuis in orationibus,

D. Chr. Ser. ... VII. ... [margin notes cut off]

„ nibus, qualiſcumque Sanctorum interceſſio, ſed „ aſſidua & continua: quatenus pro te perpetui ad „ Deum interceſſores, ab eo reportent, quod tuæ „ fuerit ſaluti conueniens. Grauis eſt ſcelerum „ tuorum infirmitas, vnde magna requiritur in- „ terceſſio, præcellentes intermedij, qui pro te con- „ tinuè Deum interpellent.

## §.17 Rogauerunt illum. *Intercedunt ſancti pro parentibus ſuis & patria, vt Moyſes, Abraham, & Hieremias.*

ROgauerunt illum pro ea. D. Ambroſius: præcipuos pro illa mediatores oppinatur fuiſſe D. Petrum, & D. Andream fratrem eius quorum maximè intererat ob parentelam: *Erant eius propinqui.* Ne credideris Sanctos affectus bonos exuiſſe naturales in ipſa natura ab eius auctore, & creatore inſculptos: non enim
I. naturam gratia deſtruit, ſed perficit: vnde ſingulari cura ijs proſpiciunt, quæ ſuorum ſunt parentum aut amicorum, quaſi proprijs. Moyſes magnâ rogauit inſtantia pro Aarone fratre ſuo, quando ob erectum vitulum illi Dominus grauiter indignabatur: niſi enim pro illo medius interceſſiſſet actum erat de illo, prout Moyſes ipſe paulo antequam moreretur, proteſtabatur. Quando Angeli Dei perſonam referentes ædes adierunt Abrahæ, poſtquam in ijs genialiter fuiſſent ab ipſo recepti multaque iuſto contuliſſent beneficia, iam receſſum meditantes, dixerunt Abrahæ: rectâ tendimus quinque ciuitates illas ſacrilegas Sodomorum euerſuri, mirâ confeſtim fiduciâ proſilijt Abraham. Domine, perpende, precor, eſt mihi in illis nepos filius fratris meus vir virtute commendatus: nec permittit æquitas, vt cum illis pereat, qui, quia tales non ſunt, puniri merentur: *Abſit à te, vt rem hanc fa-* „ *cias, & occidas iuſtum cum impio.* Singulariter D. „ Chryſoſt. quinimo & ſacra pagina, cum vorax „ illud Sodomorum retuliſſent incendium quo cuncta in cineres redacta corruerunt; de liberatio- „ ne Lot ſic infert: *Cum ſubuerteret Dominus ci-* „ *uitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit* „ *Lot de ſubuerſione vrbium, in quibus habitauerat.*
II. In cœlo denique, oportet, quos ibi tranſmiſiſtis filios, amicos, parentes, illos pro quodam affectu pro vobis intercedere: nec non Sancti huius quondam ciuitatis incolæ, pro illa particulares fundunt orationes. Prout vidit Iudas Machabæus viſione quadam admirabili, quam narrat Spiritus S. de qua ſuperius leuiter egimus, & congruè trutinat D. Thom. 2.2.q.83.

Extremis laborabat Dei populus afflictioni- a.11. & 4. bus, ab ſæuam Nicanonis Ducis vt potentiſſimi, fent. 55.4. ita ſuperbiſſimi tyrannidem: vrbem grauiter op- 3. art. 3. primebat Hieruſalem, eam templi minabatur euerſionem, Sacerdotum necem, ceremoniarum, populi vaſtationem. Viſione conſolatur Deus mirabili Ducem Iudam Machabæum mœrore collabentem. Iuſtum videt Oniam ſummum Sacerdotem (qui paucis ante diebus è viuis exceſſerat, quem & ipſe penitiùs agnouerat) coram Deo ſupplices palmas tendentem, rogantemque pro populo: poſt hunc ilico: *Vidit virum* 2. Mach. *ætate & gloriâ mirabilem & magni decoris habi-* c. 15. 14. *tudine.* Hic inſtanter Deum orabat: cumque ſcire cuperet, quiſnam eſſet ille; propiùs acceſſit ſummus Pontifex Onias: atque: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Hieremias propheta Dei.*

Aduerte primò: ſancti illi patres, licet morientes cœlum non aſcenderunt, clauſum etenim erat, ſed in limbum deſcenderunt: ibi tamen multigenis, & diuinis recreabantur conſolationibus, quibus & Deus per ſe & per Angelos dona conferebat plurima. Quocirca dixit diuiti Abraham de Lazaro locutus: *Hic conſolatur, tu* Luc. 16. 25. *vero cruciaris,* velut in loco tormentorum. Nota deinde ex eo loco, in quo detinebantur, apud Deum inceſſanter intercedebant, vota, preceſque pro ijs, qui adhuc in mundo ſuperſtites erant, offerendo, ſed patriæ ſuæ præſertim, populo ſuo ſuo ſuiſque familiaribus. Perpende nomen, quo Onias vatem Hieremiam honorat: *Fratrum amator, & populi Iſrael;* & vrbis Hieruſalem: hæc enim totius populi metropolis. Licet enim Iuſti charitate ferueant, qua diligunt omnes; in altera tamen vita hanc habent erga fratres, parentes, intimos, patriamque feruentiorem: hic etenim amor bonus eſt, rationi conformis, & naturæ conueniens inclinationi, quam Sancti in Limbo Ser. in vi- non amiſerant, ſed perfecta fruebantur, & minus gil. Apoſt. adhuc in cœlo (confirmat D. Bern.) vbi charitas Pet. & & amor in ſumma feruent perfectione, illoſque Pau. diligunt ardentiùs, quos plura nomina, ac ratio- D. Tho. nes, maiori reddunt amore digniores. 2.2 q. 26.

Huic propoſito conuenienter ait Sol iſte S. art. vlt. Theol. D. Tho. *Non ceſſabit ab animæ beati hone-* III. *ſtæ dilectionis cauſa.* Quocirca felices ſe ipſos exi- Idem ex ſtiment, qui parentes habēt in cælo regnātes, pa- Patribus tres qui filios, quos recēs baptizatos mors hinc confir- abſtulit immatura, & cœtibus inſeruit Angelicis matur.

feli-

felices illæ Ciuitates, quæ Sanctos ſe habere gaudent in cœlis, qui aut in illis nati ſunt, vel vixerunt. Et beata illa ſenior femina, quæ D. habuit Petrum vt generum: qui ea de cauſa pro illa rogauit inſtantiùs, cum fratre ſuo Andrea, & ſocrui ſalutem obtinuerunt. Crediderim autem, licet hi fuerint, qui primo pro illa precatores interceſſerint quod reliqui quoque Apoſtoli & diſcipuli ſuas adiunxerint orationes. Taleſne Domina tibi ſunt interceſſores? Salua tibi eſt corporis integritas de qua tibi ex nunc potero congratulari. Procul dubio, maledicti, licet labia ſua mordeant hæretici, efficaciſſima eſt coram Deo Sanctorum oratio; Sapiens non eſt (aſſerit D. Hieronym.) contra periurum hæreticum Vigilantium, qui non firmiter credit Sanctos in cœlo pro nobis intercedere: ſi namque adhuc in mundo pro nobis interueniant ex ea, qua nos diligunt charitate, quanto magis hoc facient in cœlis, vbi charitas viget multo perfectior multoque feruentior, & tantò veriùs noſtram deſiderant ſalutem, quantò clariùs agnoſcunt, quanti ſit momenti ſempiterna animæ

D. Bern. ſaluatio: *Si dum hic viueret ſic* (audi D. Ber. de quolibet hoc Sancto confirmantem) *miſertus eſt peccatoribus, & orauit pro eis nunc tantò ampliùs, quantò veriùs agnoſcit, miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, ſed augmentauit: neque enim quia impaſſibilis omnino, ideo & incompaſſibilis factus eſt, ſed nunc potius induit viſcera, miſericordiæ cum ante fontes miſericordiæ exiſtit.*

IV. Sãctorum preces cõprehendũtur in decreto prædeſtinationis.

Eſt hoc autem ita veritati conſonum vt etiam in æternæ prædeſtinationis decretis tantam habeant auctoritatem, atque efficaciam interceſſiones orationeſque Sanctorum vt ſæpius Deus præordinet electis ſuis æterna non concedere bona, quæ diuinæ ſuæ ſunt prædeſtinationis effectus, niſi mediantibus Sanctorum ſuffragijs. Notate myſterium. Oculos conijce in D. Paulum, & eum videbis ad tantam à Deo prædeſtinari dignitatem, vt eius eligeretur Apoſtolus & vt vas in ſummum honorem & gloriam in Eccleſiæ ſuæ domus abaco ſtatueretur, & excellentiſſimis gloriæ gradibus beatitudinem ſuã aſſequeretur. Hoc igitur Deus ordinauit, hæc omnia D. Paulo precibus ac interceſſione principal. Martyris Stephani conferrentur; & donec ille pro Paulo rogaret, illis non cœperit Apoſtolus gaudere beneficijs.

Prædeſtinauit D. Auguſtin. & in celeberrimum elegit Doctorem Eccleſiæ, vt primum in illa dignitatis locum occuparet, ſed nec in cœleſti gloria inferiorem. Attamen voluit vt omne bonum illud ſupremum orationibus & lacrymis Monicæ ſanctiſſimæ matris ſuæ, non aliter obtineret: Tempore D. Cyprian. quibuſdam decreuit Deus ſuæ dona liberalitatis impertiri, verùm illorum conceſſionem quorumdam fidebat Sanctorum orationibus: voluit enim vt intercedentibus pro illis & non aliter, Sanctorum ſuffragijs promiſſa dona conſequerentur. Ita teſtatur D. Cyprian. quiſque ergo modo iudicet, cum iam ſint in cœlo beati, quàm efficaces coram Deo futuræ ſint ſanctorum cum eo regnantium orationes.

Hæc Dei mens eſt, vt ſancti ſimiles ſint ſtellis, & hoc idem illi præſtent hominibus, quod cœli ſtellæ mundo inferiori. Hoc namque D. Paulus filo deducit oratorio. Decreuit ab æterno Deus mundi creationem & conſeruationem, naturæ virtutem fructibus ſuis infundens producendis. Attamen hoc fieri ſtatuit ſtellarum influentijs, in cuius effectum quaſdam in firmamento creauit maiores, alias minores, vt illis influentibus ſecundum conſtitutum ſibi à Deo locum, & cuiuſque concreatam magnitudinem, ipſa nos poſſet natura ſuorum fructuum reddere participes in quem finem tantam indidit ſtellis efficaciam. Hoc idem de Sanctorum ſuffragijs intelligamus. Illos Dominus vt ſtellas creauit, vt ſuæ interceſſionis influxu, nobis, quæ ſaluti noſtræ conducunt efficaciter obtineant. Vnde ſicut nullas Deus in mundum productioni fructuum immittit, niſi medijs ſtellis, influentias: ita ſimiliter autumo, nihil hominibus Deum concedere, niſi Sanctorum rogatus ſit interceſſione: quare ea de cauſa, illos præcipit Dauid nimis honorari: *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus.*

V. Vt ſtellæ influentijs ... ita ... Sancti ...

1. Cor. 15.

Pſal. 138. 17.

Idcircò ſingulis Prouincijs Angelos præfecit cuſtodes, pluribus Sanctos ciuitatibus patronos aſſignauit, quoſdam naturales, in ijſque progenitos, vt affectu naturali quaſi tutelares ſuis ſe monſtrarent interceſſionibus, quibus petita adeò efficaciùs impetrarent. Hoc D. Ioannes innuit illa viſione, qua Deum contemplabatur cœleſti reſidentem throno, venerabilibus circumſtipatum ſenioribus: vt quiſque ſciat, nihil ab eo in homines profluere, niſi Sanctorum cõſenſu ac voluntate, quos ſeniores illi præferebant. Hinc liquet, quàm prudenter Eccleſia publicis afflicta neceſſitatibus, ad ſuffragia præcipue confugiat Sanctorum: Et quanta ſit oportet noſtra diligentia, noſtra ſolicitudo, vt quibuſlibet oppreſſi calamitatibus ad ipſos deuoti

VI. Ideo præfecit Deus Angelos & Sanctos patronos.

recurra-

» tenuramus : enim verò ſine Sanctorum ora-
» tionibus, qui modo cum Deo in throno glo-
» riæ reſident beati, non facilè laborum, quos pa-
» timur leuamen à Deo ſumus obtenturi. Melio-
» ri quoque titulo dicere poſſumus illud Abſalo-
» nis in ſuæ confirmationem iniquitatis : *Si non*
» *eſt aliquis conſtitutus à Rege in Palatio, quem in-*
» *terponas, nullum bonum recipiendum à Rege ſpe-*
» *res.* Ex quo patet, qualis nos deceat diligentia,
» qua Sanctorum nobis ſuffragia preceſque con-
» ciliemus.

## §. 8. Rogauerunt illum. *Efficax eſt oratio ſanctorum, quæ Deum ligat, vt in Elia patet: & eorum nobis opus eſt interceſſione.*

Pſal. 144. 19. VIdeamus : Numquid efficax hæc eorum oratio? Efficaciſſima; iam enim hoc nobis præluſit Dauid : *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Fundat hoc in ea conditione, quam de Deo Propheta celebrat, quod talis homini futurus eſt, qualis Leu. 20. 26. homo Deo fuerit: *Cùm Sancto Sanctus eris, &c.* Hoc præ cæteris Sancti conantur, diuinam ſcilicet implere per omnia voluntatem. Ex toto corde hanc proferunt orationem : *Fiat voluntas tua; ſicut in cœlo, & in terra:* Hinc eorum Deus implet voluntatem : *Voluntatem timentium ſe faciet.* Probat hoc, imò huic alludit D. Iacobus: *Multum valet oratio iuſti aſſidua* : quòd exemplo confirmat intimi illius Deo familiaris Eliæ ſci- Iac. 5. 16. licet: *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione orauit, &c.* Iuſtè hoc expendas : *Oratio* Iſai. 11. 5. *iuſti.* Quantum conijcio illud ſpectat Iſaiæ de Deo: *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Septuaginta legunt, quorum verſionem ſequebantur Apoſtoli: *Erunt iuſti cinctorium lumborum eius, & fides cingulum* I. *renum eius*, q. d. cingent illi Deo renes ſuos & Oratio li- lumbos. Quæ, precor, eſt hæc forma loquendi? gat Deū. Numquid Deo lumbi ſunt ? Numquid renes? Non ſunt; at ſymbolica eſt locutio myſterijſque profunda. Primò dicit : erunt iuſti cingulum, quo ligabitur Deus; quia in rei veritate, nihil eſt, noſtro loquendi modo, quòd ita Deum quaſi liget, ſicut orationes Sanctorum. Quis illum ligauit, quando populum punire voluit apoſtatã, qui maris adhuc arenis incedebat, quod ſicco pede tranſierat, nondum calceis pelagi puluerẽ excuſſerat, & in eum rebellis inſurgebant idololatra? Ligauit illum Moyſes orationis ſuæ cinctorio, & vt taliter ſe ligatum Deus fateba- Exod. c. 32. 10. tur, dum Moyſen ſic deprecatur: *Dimitte me, vt* 11. *iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Concede mihi locum, diſſolue vincula. Quid Patet in hoc Domine, quis te detinet ligatum? Oratio Moyſe. Moyſis. Hæc ita Dominum ligat, vt non faciat, niſi quòd intendit Moyſes, & non niſi quando & eo modo quo Moyſes requirit.

Hoc indicat S. Scriptura illa loquendi phraſi; quòd Deus faceret iuxta verbum Moyſi. Flagello ranarum Pharao territus, ob grauem nimis qua torquebatur, moleſtiam, Moyſi ſpopondit, quòd ſi ranarum auferret plagam, cuncta faceret, quæ Dei nomine flagitabat. Confugit Moyſes ad Deum, & ranarum poſtulat ablationem : *Fecit Dominus* (inquit S. pag.) *iuxta verbum Moyſi, & mortuæ ſunt ranæ.* Exod. c. 8. 13. Eodem modò Dominus ob indignam viliſſimæ plebis commotionem indignatus, quæ diffidens diuinam non credebat infida potentiam, quoad terræ promiſſæ, poſſeſſionem, illam funditus perdere proponebat. Adeſt Moyſes, & oratione feruida à Deo ſupplicat criminis indulgentiam; Exaudit illum Dominus, aitque : *Dimiſi iuxta* Nu. c. 14. *verbum tuum.* Feci eo planè modo, quo tu ſup- 20. plex voluiſti? Quis hoc capiat cœlorum Domine? quis cui ſe tenetur conformare; num opera Moyſi tuis verbis, aut opera tua verbis Moyſi? Nonne propatulum eſt, Moyſen agere debere, quod illi præcipis, & qua ratione, & modò hoc illi mandas peragendum? quomodo igitur, id quòd agis, verbis conformas Moyſi? Hinc Dei colliges celſitudinem, quoque ſuos loco teneat amicos: quòd cum illi ſuæ conformiter agant voluntati, vicem illis reddit illa faciendo, quæ ſuis ipſi ab eo poſtulant, diſponuntque ſuffragijs.

40 Aptiſſimè dixit ſponſæ ſponſus ille cœleſtis: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Cui ſeruit vitta Cant. 4. 3. coccinea? ad cingendum & ligandum. q. d. quod III. me cingit, meque ligat, amica mea, labia tua Oratio ſunt, orationes tuæ, petitiones tuæ tuaque vota: vittæ Sicut autem hominem ligatum ducis quocum- coccineæ que libuerit: ſic, ſponſa mea, eo me trahit, quo compa- tuæ me dirigunt, & mittunt orationes. Porrò ratur. quid in Deo ligat hæc vitta coccinea? lumbos, reſpondet & renes: *Cingulum lumborum eius, & cinctorium renum eius.* Sunt lumbi ſeu renes docente Philoſopho, ſubiectum loci ſque voluptatum. q. d. Dei ligatam tenent voluntatem : eo namque ducunt illam, quocumque voluerint.

Hoc Deus præfatis ad Moyſen verbis indicauit:

IV. Eliæ de aqua perpenditur hiſtoria. *Hom. de Elia To.1.*

cauit: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus &c.* Non ait: Dimitte me, vt gladium aſſumam aut manus moueam: *Sed dimitte me, vt iraſcatur furor meus*: quia nedum Deo conſtringit manus oratio quibus in hominem animaduertat, ſed voluntatem, & viſcera, vt nec in illis quidem inſurgat ira, nec velit, niſi quod illis eſt beneplacitum. Et ne forte hæc omnia credideris eſſe mentis imaginationes: exemplum addit Apoſtolus Eliæ: Erat is ſanctitate nulli inferior, Dei amicus integerrimus, eius voluntati obſequentiſſimus, quippe qui in nullo ſic elucebat, atque in adimplenda Dei perfectiſſimè voluntate. Perpende igitur; quanti iuſti huius valuerit oratio, & qua ratione Dei ligauerit decretum, cinxeritque voluntatem: *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione orauit vt non plueret ſuper terram &c.*

*Ho. de Elia Tom.1.* Omnia verba hæc expendit D. Chryſoſtom. Exit Elias Dei verbum prædicaturus, coram auditorio pleniſſimo, cui & ipſe Rex Achab intereat, vitia reprehendit, Deique grauiſſimè accuſat iniurias: vt autem cognouit, quàm modica ſequeretur ex verbis ſimpliciter dictis vitæ morumque correctio: manum terribili admouet comminationi. Iurat: *Viuit Dominus*: quâ iurandi formulâ totum queat terrefacere mundum, eoſque percellere, qui maximè cauteriatam habent nefarij conſcientiam: *Viuit Dominus Deus* *3. Reg. c. 17. 1.* *Iſrael, in cuius conſpectu ſto ſi erit annis his ros & pluuia niſi iuxta oris mei verba.* q. d. Noueritis me hoc à Deo poſtulaſſe, vt non plueret; adeoq; certum eſt, quòd ne gutta quidem cœlitus decidet, vt illud auſim confirmare iuramento. Quis te de hoc Elia Sanctiſſime reddidit certiorem? Hoc ſcilicet, quod ego hoc à Deo poſtularim, quem ita ligatum habeo, vt certò nouerim, quòd ſe non mouebit niſi: *Iuxta oris mei verba*: nec volet aliud, quàm ego voluero. Quomodo ergo propter verbum tuum? quia tu ſic vis? quid minoris eſt ſubſtantiæ, quàm verbum de ore procedens hominis? quia tu ſic Domino loqueris: Domine, nolo pluuia decidat: ideone Deus ne hoc facere poſſit, fortè detinetur? Numquid orbem gubernat Deus ad tui oris imperium? Cœloſne regit & elementa pro tua voluntate? ſuperaddo: ſi plura eo animo ſacrificia conſecraſſes, vt illud obtineres, ſi multa coacervaſſes ieiunia, non paucas aſſumpſiſſes corporis afflictiones, ſi opera quædam præſtitiſſes heroica, quibus Deum (vt ita loquamur) tibi plurimum deuinxiſſes, quo tali beneficus annueret ipſe petitioni: hoc videtur aliquo modo rationi conueniens: at vnico tantum tuo præcepto ſic eſt, hoc namque ſufficit: *Oratione orauit*: Nihil egi præterea, rogaui, & hoc ſufficit: *Vt non plueret ſuper terram, & non pluit annis tribus & menſibus ſex.* Eius namque labia, fuerunt vitta coccinea, qua Deum cinxit, eius beneplacitum, ac voluntatem ligauit; ita vt in illo negotio nihil Deus aliud poſſet, niſi ſecundum Eliæ oris imperium, animique propoſitum. Fuit Eliæ lingua, clauis, quæ claudebat & aperiebat, modò claudebat & ecce terræ ſterilitas labuntur anni tres, & menſes ſex, nec gutta decidit aquæ.

Perpendit D. Chryſoſtom. qualiter populus ob aquæ penuriam grauiter afflictus ad Deum recurrerit: Domine aqua, aqua Domine: cui Dominus: ligatus ſum: cinxit me vitta coccinea labiorum Eliæ donec ipſe voluerit, non eſt quod ego velim. Annus præteruolat, exareſcunt campi populus affligitur. Aqua Domine. Hanc ego nolim, dicit Dominus: quia nec ipſe vult Elias. Biennium elabitur, tantaque neceſſitas oritur, vt omnes tollerent ſupplices ad ſidera & voces & palmas: nec ſe mouet Deus. Domine, quid hoc rei? Elias non vult. Elia an non noſtri miſereris? perpende; pereunt armenta & greges, montes, populus: *Viuit Dominus* inquit Elias; non pluet Dominus ſuper terram, donec ego voluerim, at ego nondum volo. Notat Diuus Chryſoſtomus cum ipſa S. Scriptura, quòd Dominus populo compateretur, eius lachrimoſis gemitibus commotus, & ad præſtandam ei miſericordiam propenderet, aquam daturus, eoque animo locutus fuerit Eliæ, Elia, ecce populus iſte meus, illi filij mei ſiti deficiunt: demus illis pluuiam. *Viuit Dominus: non erit pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Per ſalutem tuam, Domine, pluuiã non concedes, donec ego interuenero, illam velim, illamque poſtulauero. Triennium tranſit ſterilitatis, defecerunt fontes, exaruerunt torrentes & flumina, greges emoriuntur, equi langueſcũt, & iumenta pereunt, populus præ ſiti inter mortuos computabatur. O quibus cœlum clamoribus pulſabant, quibus Dei pectus orationibus vlcerabant: Domine, aqua: cœlorum Domine, en collabimur, en morimur te vidente miſericordia. Dominus Eliæ loquitur: Elia, vide populi extremas anguſtias: dimitte me, & pluam ſuper terram. Nequaquam Domine, per animam tuã: Triennium & ſemeſtre præterfluunt. Modò placet, inquit Elias: modò bene: Domine: iam mihi videntur in ſe reuerſi pœnitentes, iam volo des pluuiam & imbre irriges terram fœcundiore. Dicto citius; quaſi qui clauem retorqueret, aquaſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aquaſque clauſas aperiret vt exſiliant & deſcẽdant, Deus cœlos nubeſque diſponit, & aperiuntur cataractæ, tantaque deſcendit pluuia, quanta frugibus terræ neceſſaria quærebatur.

Hoccine fabula eſt, aut poëtarum fictio? Sacra eſt Scriptura, reſpondet D. Chryſoſt. quis ſibi perſuadeat Domine cœlorum, vt te ligari hominis mortalis & paſſibilis verbo patiaris? Elias tibi manus conſtringat, vt ne ad paſſum quidem tuam moueas voluntatem niſi quemadmodum fueris ligatus, quando & quatenus vitta, ſeu vinculum, quo ligatur, ei locum & licentiam concedit? fateor; idque quia iuſtus eſt Elias, & meam ad amuſſim implet voluntatem, licet eius enim appetitus ac voluptates, diabolus, mundus, caro prouocent ad oppoſitum, firmus, conſtanſque obnititur, & quæ mihi ſunt beneplacita ſedulò perficit: licet etiam omnes ſui pectoris affectus eum inſtigent, vt à recta voluntatis meæ ſemita aberret, illum tamen voluntas mea ſic ligat, vt nihil agat, niſi iuxta oris mei verba: Correſpondeo, vicemque illi rependo, ait Dominus, & ſic illi me conformo, ſicut ille ſe mihi, quocirca me eius ligatum ſentio voluntate, vt aliud non velim, quam ille voluerit: *Voluntatem timentium ſe faciet.* Admiramini orationis iuſti virtutem. Hæc omnia D. Chryſoſt. enucleatè perpendit.

V. Duo ſunt hic conſideranda.

Attamen hic duo conſideres. Primum: quod & ipſe D. Chryſoſt. inconſideratum non prætererit: iuſtum illum, hominem fuiſſe mortalem, ſimilem nobis paſſibilem id eſt, ſubiectum paſſionibus, fraudibus, moleſtiis, choleræ, commotionum maloque humori quibus nos laboramus: *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis.* Secundum: illud quod orabat, abſolutè diuino beneplacito atque inclinationi erat contrarium, vt hominum more loquamur; nihil etenim ita Deo beneplacet, quàm nobis benefacere, & quæ petimus elargiri. Quocircà quando hæc agit, dicitur in S. litteris ſummo hoc agere gaudio: *Lætabitur Dominus benefaciens vobis*: quando verò nos caſtigat, aut flagellat peccatores, hoc inuitus agit mordenſque dente (a) & rugoſa fronte velut coactus, ingemiſcẽs: *Heu vindicabor de inimicis meis.* Sic eum audit Iſaias olim ingemiſcentem, dum ſuos plectere cogitur inimicos.

Deut. c. 28. 63. (a) [illegible] Iſai. 1. 24.

Vnde videtur, quòd Elias orare non potuerit quidquam Dei beneplacito magis oppoſitum, quàm vt non plueret, ſuamque cohiberet, vel inuitè miſericordiam. Impetuoſum tu deprecare fluuium, vt aquas coërceat, non vides, quòd ſcaturit: omnis etenim eius hæc eſt inclinatio, vt eas vberrimis effundat gurgitibus? A matre poſtula, cui præ nimia lactis abundantia vbera diffringuntur, vteri ſui filio lac non præbeat, quem audit plorantem, videtque fame pereuntem.

Hanc igitur (monet D. Iacobus) perpende rationem: Si tantum iuſti poſſit gratia, vt Dei conſtringat beneplacitum, & quaſi coactum contineat, vt illud non agat, quòd tam libenter ageret: Si iuſtus tam potens ſit, vt Deum ipſum detineat, agatque, vt piiſſima ſua concludat viſcera, & quaſi contra naturam ſuſpendat, ne prorumpant flumina miſericordiarum: quid obtinebit iuſtus, dum ea poſtulat, quæ tam hilari Deus concedit animo, ſua ſcilicet noctis dona beneficiorum? Si tanti cuiuſdam familiaris valeret apud Regem auctoritas, vt eum ſuis precibus cohiberet ne ciuitati, vel perſonæ alicui conferret priuilegium, cum ipſe magnoperè ad hoc propenderet, deſideraret, nihilque illi foret acceptius, quanti valeret eius auctoritas; vt illud ipſum facere permitteret, ſi pro hoc ſupplex intercedat? Si tantis homo quiſpiam polleret viribus vt maximam turrim in hanc partem inclinatam, velut ratione in alteram remitteret: quantò faciliùs poſſet iiſdem fultus, in illam protrudere partem ad quam decidua propendebat? Diuinæ turris miſericordiæ, in eam partem declinabat, qua faceret miſericordiam, aquas ſcilicet pluuiaſque terræ largiretur, & iam inclinatam, potens eſt Eliæ vatis oratio, illam in aliam partem remittere, in qua illam toto illo detinet tempore, quo eius extenditur oratio, triennio ſcilicet & ſemeſtri. Quam igitur efficax erit vt in illam moueat partem, ad quam magis propendet inclinata. Proh quàm efficaces ſunt Sanctorum orationes!

VI. Similitudo.

VII. Similitudo.

### §. 19. *Præclaris idem probatur exemplis Abraham & Lot, quæ hanc ob cauſam particulariter à Spiritu S. referuntur.*

MAgnum eſt hoc de Elia, fateor exemplum, at non minùs id quod de Abraham & Lot circumfertur, quòd particularibus exaratum circumſtantijs nobis S. deſcribit eloquium, dum ſupplicij narrat hiſtoriam, qua luxurioſas illas Sodomorum diuinâ puniuit iuſtitiâ ciuitates. Accedunt Abrahæ tabernaculũ tres Angeli formâ peregrini, quos vt tales arbitratus benignè recipit, excipit lautè, & hi tã-

dem ſe, Angelos eſſe manifeſtant, qui nomine veniant & ex perſona Dei Sanctiſſimam referent terni Trinitatem; & vt tales, hoc illi promiſſum ſpondeant optatiſſimum, quod infra anni curriculum Abrahæ votis ſatisfieret, filium nempe ex vxore Sara ſuſciperet: multiſq; aliis interiectis, iam profecturi, vt infames illas euerterent incendio ciuitates, à menſa ſurrexerunt, & verſus illas iter ſuum dirigebant: *Cum ſurrexiſſent inde viri direxerunt oculos contra Sodomam.* Ille verò, qui primicerius eſſe videbatur, & expreſſiùs perſonam Dei referebat: ſic ait: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Ne curſim hæc verba tranſeamus, ait D. Chryſoſtom. *Dignum eſt, vt neque illud prætereamus: neque enim ſyllabam, neque apicem in diuina Scriptura prætereire oportet.*

Gen. c. 18. 16.

D. Chr. Ho. 41 in Gen. Tom. 1.

I. Abrahæ apud Deum auctoritas expenditur.

Perpende quanti Rex intimum ſuum faceret, ſi diceret, nihil ſe poſſe illi celare eorum quæ facit, quis vnquam amicus de ſuo ſic loquitur amico? Non ait non volo quidquam inconſulto Abraham amico meo facere; ſed non poſſum: Quid hoc Domine mi? Videtur enim Abraham tuam ſibi deuinxiſſe potentiam, qua non vteris, niſi priùs illi reueles quidquid animo conceperis: *Quaſi homo, homini loquens, & quaſi amicus amico monſtrat nobis, quanto honore dignos habeat virtute præditos.* Si talia Rex de familiari ſuo verba proferret, quantam iudicaremus eſſe æſtimationem, quàm de illo habet. Conuerſus ad Abraham ait: Amice dilectiſſime volo, quid ſim acturus præintelligas: peto Sodomam, de inhoneſtis eius luxurijs capturus experientiam, & illam cum ſuis ciuibus funditus euerſurus. Replicat Abraham: *Abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impiis, &c. non eſt hoc tuũ: qui iudicas omnem terram.* Mirare (loquitur D. Chryſoſt.) quantâ Deo loquatur animi fiducia, quanta ſinceritate: *Abſit à te: ò quanta iuſti fiducia.* Fige gradum in eo quòd agendum animo propoſuiſti non hoc tuam decet perſonam: abſit à te. Quis priuatus tantâ Principem ſuum alloquitur fiduciâ, tantâ libertate? Quàm ſecurus de eo loquitur, quòd Deus petitis ſuis ſit indulturus. Attende Domine, quoſdam Sodomis iuſtos habitare; nec tibi conuenire ijſdem iuſtos cum impijs inuoluere ſupplicijs: Numquid ibi iuſti? proſus Domine, & te rogo: vt ſi quinquaginta fuerint in illis ciuitatibus, illis miſericors ignoſcas. Fecero, vt poſtulas, ait Dominus; quòd ſi tantùm fuerint quadraginta quinque? Similiter ignoſcam; & ſic paulatim deſcendit ad quadraginta, triginta, viginti. Cenſebat Abraham indecorum inferiùs deſcendere, nihilominùs totus de ea ſecurus, qua iuſti apud Dominum vigent auctoritate profunda ſic loquitur humilitate: *Obſecro, ne iraſcaris Domine ſi loquar adhuc ſemel: quid ſi inuenti fuerint ibi decem;* eſto quinque illis ciuitatibus propitius, vt duo ſingulis correſpondeant. Reſpondit Deus: fiat tibi vt petiſti; quòd ſi tantùmmodò decem fuerint: *Non delebo propter decem.* His dictis, inquit S. pagina: *Abijt Dominus, poſtquam ceſſauit loqui ad Abraham.*

D. Chr.

Gen. c. 18. 28.

II. Eiuſdẽ fiducia.

III.

Notat Eminentiſſ. Caiet. Cardinalis in originali Hebraico ſignificari, quòd eodem momento, quo Deus reſpondit Abraham, terga verterit & abierit, ſeu diſparuerit vt ne temporis puncto quidem diutius hæſerit; nullis ergo verbis vſus eſt more valedicentis? Nullis: enim verò ſi moram Deus traxiſſet vlteriorem, ſicut Abraham de quinquaginta deſcenderat ad decem, deſcenderet de decem ad quinque, ſeu quatuor, & illi iam Sodomis morabantur: Lot ſcilicet vxor eius, ac duæ filiæ. Non videbantur Deo vires adeſſe & animus, noſtro loquendi modo, poſtulata negandi Abrahæ: tam ſollicitè diſcedendo: *Significantius narratur, quòd cum Deus finiſſet vltimam reſponſionem, non delebo propter decem, receſſit non exſpectans vlteriores preces.* q.d. Rogari me ab Abraham, & à me negari poſtulata, non cum eo vinculo conueniunt, quo me amicorum meorum precibus & interceſſionibus fateor eſſe colligatum: quocirca reſcindamus illi occaſionem plora poſtulandi. O quàm arctè ſe ſentit ſuorum interceſſionibus precibuſque conſtrictum?

Deinde & illud perſcrutare, quod poſtmodum euenit. Suum Deus iter proſequitur, & in perſona duorum Angelorum appellit Sodomam. Illum Lot excipit liberalis hoſpitio, ad ſuas illum deducens ædes. Ilicò ciues oppidi, vt illos viderunt forma venuſtiori decoros, exardeſcunt, & infandam illis, nefandamque tentant inferre libidinem: *Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul.* Quo Spiritus S. ſignificat, nedum non decem fuiſſe iuſtos, ſed nec vnum, qui non perfidus eſſet, non execrabilis ganeo: *A puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul.* Illos Angeli cæcitate percuſſerunt, vt oſtium viri iuſti Lot nequiuerint inuenire: dicuntque iam ſatis eſt, hoc factum eſt: patet hinc omnibus euidenter omnium huius regionis non vlteriùs ferenda luxuria. Lot vocant, eique finem ob quem adſint, aperiunt. Congrega, ſic conſulunt, tuos generos; & tu cum illis vxor tua ac filia, quantociùs egredimini de ciuita-

uitate,iam enim eam ſumus eradicaturi. Morá trahit Lot,nec feſtinatò diſcedit , quem apprehenſum brachiis ædibus educunt,cum vxore & filiabus,antequam ſol orietur illi reuelāt, quòd perſonam,voces,viceſque referant Dei., proinde præcipiunt : Procul hinc, nec in hac vltra maneas regione,cum vxore & filiabus illum aſcende montem,nec quiſquam verſus ciuitatem lumina curioſus retroflectat. Turbatur Lot, & velut attonitus obſtupeſcit , hanc tam ſtrictam celeremque percipiens ſententiam , ad illos igitur,magna pronus reuerentiâ conuerſus ſic ait: *Quæſo,Domine mi*,iam illis (inquit Caiet.) cum eſſent duo,loquitur in ſingulari : quia in illis agnoſcebat adorabatque Deum. O Domine mi, quid tanta opus eſt feſtinatione? Exanimis ſum, nec tam celeri valeo paſſu procurrere : coniux mea,& filiæ ſunt infirmiores: nec poſſibile quis dixerit,vt tantillo tempore ex harum terminis ciuitatum accliui egrediamur itinere , quocirca vereor , quod ſi tam cito ſis vrbes has incenſurus nos pariter vorax flamma comprehendat.

V. Lot pro Segor intercedit, & impetrat. Hic in mentis aſcenſu ciuitas occurrit nobis parua,cæteris quatuor minor;obſecro, vt illi benignus ſis proxima namque eſt , ibique potero cum vxore & liberis ab vrbium latere ſecurus excidio,felix tibi fauſtumq́, ſit: reſpondet Deus Hæc ſimiliter ciuitas eidem ſubiacebat incendij ſententiæ,verumtamen:*Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas,vt non ſubuertam vrbem, pro qua locutus es.*Quam certū erat, Domine, cum hoc tuus à te requireret amicus, ſeruuſque, ſic fidelis, vt nullus magis,quod hoc facturus eſſes nihil opponens in contrarium , datamque reuocaturus ſententiam; fiat tibi ſicut petiſti : verumtamen *Feſtina & ſaluare ibi:quia non potero facere quidquam,donec ingrediaris illuc.*

Hæc verba perpende ſingillatim : illud præſertim:*Non potero facere quidquam*,O potētiſſime Deus,quis te,quis detinet omnipotentem?quale, fortiſſime Deus illud brachium,quod fortiſſimū

VI. Iuſtus detinet Dei potentiam. Gen.18. 14. illud tuum reprimat illiq́ue præualeat ? *Non potero facere quidquam.* Paulò ante Abrahæ ædibus exceptus hoſpitio, illiq́ue addicens filium: cum ille opponeret ſenectutis impedimentum, vtpotè centenarius,cuius & vxor erat vetula nonagenaria,reſpondiſti : *Numquid Deo quidquam eſt difficile?* Non dicit;quòd Deo nihil eſt impoſſibile,nec ſterilitas,nec ſenectus, nec alia multa, ſed quòd nihil ſit illi difficile:q.d. Eſtne aliquid quod Deus facere non poſſit , ſine aliqua difficultate?quomodo ergo nunc ais? *Non potero facere quidquam?* Quis te detinet ? quis ligat?quis tanto valet robore,vt tuam conſtringat omnipotentiam? Vnus iuſtus qui petit, obſecrat, ſupplicat,& quo vſque ille hac non egreditur regione, nihil in eius potero facere ruinam: ſicq́ue ſe res habuit;etenim ad illam minam appulit Lot ciuitatem,nomine Segor ad ortum ſolis, & eodem momento quo illam ingreditur : demiſit Deus pluuiam igneam adeò ſæuam in Sodomam, cæteraſque ciuitates,vt in ictu oculi fuerint exterminatæ:*Subuerſa eſt in momento.* Solâ Segor incolumi, ſuperſtite, & illæſâ , pro quâ libellum ſupplicem Lot obtulerat : Ne puncto quidem ampliùs extendit Deus ſupplicium , ab eo quòd iuſti Abraham & Lot poſtulauerant.Conclude, quàm efficax apud Deum Sanctorum ſit oratio. *Thren. 4.6.*

*§.20.Habeto Sanctos particulares,quibus afficiaris,quorum interceſſio tibi valeat , velut illa Oniæ Heliodoro, & D. Nicolai Tribunis.*

SI horum ſinguli tantum potuerint , adhuc in hoc mundo , valle miſeriarum peregrini , quando de ſingulis dici potuit illud, quod vt præluſimus , circa Eliam expendit D. Iacobus;quòd homo erat ſimilis nobis mortalitatis noſtræ ſubiectus paſſionibus : *Homo erat, &c.*Si hoc potuerit Elias hic exſtens , qui *Homo erat ſimilis nobis paſſibilis* · qua non valebit auctoritate,qui beatitudine in cœlo perfruitur, tā ab omnibus mundi miſeriis abſolutus , quàm compaſſione feruens & charitate,ſic D. Bernar. argumentatur : Saluberrimum erat illud amici Iob conſilium:*Voca ergo ſi eſt qui tibi reſpōdeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Illud *Voca*, ſignificat,nomine ſuo voca. Tibi namque conducit(ait) Angelicus Doctor vt aliquos habeas Sanctos tibi deuinctos,optimè notos, vt occurrentibus tibi laboribus,illorum poſſis orationibus adiuuari vel liberari,vel à Deo conſequi beneficia. Si quidquam à Rege deſideres , vt tibi in aliquo faueat,vel remittat clemens offenſam; attende num aliquis tibi ſit in curia familiaris, cuius tibi proſit auctoritas, qui tuos valeat ſupplices libellos offerre, fauere,promouere , viam ſternere,vt Regis tradantur manibus ; omnes enodet difficultates,votiſq́ue patrocinetur : qua lem ſi nullum habueris , ſummo negotio quod expoſtulas obtinebis. 43

*Serm. de tranſitu Malachiæ Epiſc. & Ep.de eodem ad fratres de Hibernia.*

I. Sancti ſunt nobis conciliadi.

*Iob c.5.6. 1.2.q.83. ar.11.ad 4.& 5.*

II. Similitudo.

Hinc ſanum oritur prudentium piorumq́ue Chriſtianorum conſilium , qui Sanctos colunt particulares , quos ſibi deuotis exercitijs , obſe-

quis, feſtiſque deuinciunt, in quibus ad eorum honorem peccata confitentur, Sacram celebrant Synaxim, eleemoſynas diſtribuunt, quotidie ſingularibus inuocant orationibus, vt hora neceſſitatis imminente, habeant, ad quorum confugiant orationes, & ſuffragia præſtolentur: habeāt qui illis reſpondeant, habeant Deo familiarem, ad quem orationis tempore conuertantur. Hoc D. Leo Pontifex aſſerit: *Sicut nos experti ſumus, & noſtri probauere maiores, credimus, atque cōfidimus inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos.* Et hanc Dei erga nos, nō minimam ſuſpicimus miſericordiam, qua nos voluit habere Sanctos, qui noſtri ſint interceſſores, vt hoc modo noſtra debilis excitetur animoſiùs fiducia & eorum roboretur infirmitas, qui ſuis diffiſi meritis & obruti miſeriis directè coram diuina non audeant ſe offerre maieſtate.

*Ser. 1. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.*

III. Sancti ſunt in manu Dei: cur hoc.

Admiror viſionem illam Moyſis, quàm ipſe enarrat, morti proximus: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In manu eius ignea lex: dilexit populos: omnes Sancti in manu illius ſunt.* Exoticū quid plenumque myſteriis. Nemo nō nouit, Dei manum bonorum omniū eſſe depoſitarium: *In manu eius diuitiæ & gloria. In cuius manu ſunt omnium poteſtates.* Eſtque velut area gratiæ, ſcrinium gloriæ ſalutis, vitæ, &c. Illas etenim aperiendo, ſingulis, quæ neceſſaria ſunt, elargitur: *Aperis tu manū tuā, & imples omne animal benedictione:* Illo in loco, quo velut in area, bona cōtinet vniuerſa, ſuos reponit electos, vt intelligas, quòd ſi quidquā ex Dei cupis manibus adipiſci, fiat neceſſe eſt, Sancti alicuius interceſſione. Hoc autem ita voluit, quia te diligit; *Dilexit populos.* Quis enim ſapiens, nō hoc ſummo reputet beneficio, ſi Rex ſuorum bonorum œconomum creet fratrem ſuum, aut aliquem ex eadem regione ſibi contribulem? Ad Deū tanta territus maieſtate propius accedere pertimeſcis? En electos ſuos ſtatuit fratres tuos velut miſericordiæ ſuæ bonorumque liberaliſſimos œconomos. Illos habeto familiares, & quorumdam nomina ſint tibi apprimè cognita, quos afflictionibus attritus poſſis inuocare: dum autem te his ereptum videris, illis gratias agas, velut ſalutis tuæ mediatoribus.

*Deuter. c. 33. 2.*
*Prou. 3. 16*
*Pſ. 144. 16*

IV. Similitudo.

V. Onias pro Heliodoro intercedit.

Hoc Angeli præceperunt Heliodoro duci, vltra quàm credi poteſt, audaciſſimo, qui cœleſti præcepto capitis ſui periculo laborabat. Pro cuius incolumitate, Summus optimuſque interceſſit Pontifex Onias, litans Deo victimā ſalutarē: quo tempore Summus Sacerdos Onias offerendis Deo ſacrificiis occupabatur; accedentes Angeli dixerunt Heliodoro: *Oniæ Sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donauit, tu autem à Deo flagellatus, nuncia omnibus magnalia Dei, & poteſtatem.* Omnibus, quanti faciat Sacerdotem, voce præconia proclama: cuius meritis à mortis erutus faucibus incolumis euaſiſti. Similiter mandauit Imperator Conſtantinus tribus illis Tribunis gratias referrent D. Nicolao Myræ Antiſtiti: Captiuos, & falſis informationibus conuictos morte cōdemnarat: Ipſi tetro illo carcere concluſi D. Nicolai Myram regentis Epiſcopi ſuffragia ſupplices implorarunt, cuius miracula toto orbe celeberrima ferebantur. Noctu vir iuſtus apparet Imperatori, quieſcenti, reorum exponens innocentiam mandat quàm primùm merita donentur libertate. Mane illuceſcente, ſolutos à vinculis aduocat Imperator, cumque præſcius ſciret orationem qua ſe D. Nic. Myrenſium Epiſcopo commendarant, libertati reſtitutis iniungit: *Ite ad eum, & gratias illi reddite, eique meo nomi[ne] nunciate, quid ſui gratia fecerim:* per quos & [illegible] ſacræ munus miſit Imperator honorarium. [illegible] igitur ſit Sancti adhuc in mundo degentis auctoritas, vt diximus, & adhuc vitæ mille ſubditi calamitatibus, ac paſſibilis: quanto, creditis, erit efficacior plurium oratio Sanctorum, qui [illegible] vitæ æternis abſolutè beati perfruuntur. O te felicem [illegible]rem, ô ſanctam! plures pro te ſancti medij deprecantur. Nihil de ſalute tua dubitandum.

*2. Mach. 3. 33.*

VI. D. Nicolaus tres Tribunos à morte liberat.

## §. 21. *Plurimum refert, filias veſtras tradere, Dei famulis vxores.*

Pondera deinde quàm optato fine mater hæc filium in matrimonium dederit viro ſanctitate conſpicuo, nempe D. Petro, cum ex hoc illi ſors illa contigerit feliciſſima, quod Chriſtus ſuas ædes intrauerit, ſalutem afferens milleque beneficia, ex quo ſimiliter intelliges, quanti tibi referret; vt in thorum matrimonii filiorum, hoc attenderes, ſi cum perſonis iuerentur probitate præclaris, quæ Deo amicitia coniungantur. Quod minus hodie conſideratur, hoc eſſe dolemus, & id tantummodo conſiderat, qui filium collocat, vt vxor diuite dote intumeſcat, multis turgeat diuitiis: qui vero filiam tradit, vt maritus opibus abundet ſit optimæ valetudinis, in mundo dignitate floreat, vnde ſequitur, vt nec parentes Deum in ſuis habeant

ædibus,

ædibus, nec ſalutem, quietemque conſequantur. Si quid intelligo, quotidie in mundo contingit, quod quodam tempore diſcipulis contigit filiiſque prophetarum. Fame laborabant, nec quod comederent inueniebant; exierunt in agrum vt herbas in eſcam ſibi colligerent. A longe plantam conſpiciunt viridem, venuſtam, luxuriantem, cuius frutices pampini videntur, & mutuo colloquuntur: proh quam hæc domui noſtræ commoda, illâ noſtram impleamus ollam. Non vlterius inſpexerunt quàm

I. Allegoria

quod oculis corporis offerebatur, & exteriùs apparebat, quod foret cœna lautiſſima & ſapidiſſima, erat autem herba hæc in ſe, ipſo felle amarior: erant enim colocinthides, herba peſtifera, & mortalis ſi vel vlla. Domum deferunt, cæteris commiſcent, implentque cacabum, ſibi mutuo de ſorte optima, herba ſcilicet inuenta, congratulati, qua nulla ſapidior, nulla ſalubrior. Paulò poſt ad menſem aſſidentes, cum ex appoſito cibo guſtarent auidiùs, in lachrimoſas ſinguli voces, lamentaque prorumpunt: *Mors in olla, mors in olla.* Nonne pampini erant? Eſſe videbantur, & ſola exteriori contenti apparentia, deluſi ſumus, & non niſi dolor, amaritudo, perditio mors eſſe conuincitur.

4. Reg. 4.

Quoties in mundo volunt parentes filias in matrimonium collocare, illis quibus mirum in modum afficiuntur. Totam percurrunt & conſiderant ciuitatem; Talis à longe vident filium, auteà pinus illis apparet, opibus affluit, officio primario præcellit, amicis effulget, dignioribus, aiuntque, quam hic bellè noſtræ familiæ congruit: adducamus illum huc, ſociemus illi filiã, ex illo & illa pulmentum conſtruamus. Vt dictũ, ita factum: ſibi millies congratulantur, & poſt puſillum, quando auidiùs incipiunt probare conditionem, omnes ingemiſcunt omnes exclamant: *Mors in olla:* pereat ille, qui me tali tradidit. Væ illi, qui huic ſe ingeſſit negotio &c. Amara omnia, dolor, anguſtia, mors: nec immerito: cum ad exteriorem tantummodo rerum attenderitis abundantiam; & illis quæ corporis oculis applaudebant, mores, virtutem, pietatemque non trutinaſtis, nec horum aliquid appendiſtis: quære filio tuo, mulierem piam, taciturnam, prudentem, ſagacem; hæcque ſit dos filio optanda principalis. Inquire filiæ tuæ virum prudentem, ingenio maturum, pacis amatorem, Deum timentem, qui diuina frequentet Sacramenta: ex illis etenim maioris momenti ſibi bona promanabunt. Proh quàm illarum mulierum ſors deſideranda, quæ, mundo in ruinam

II. Conditiones æquales in filiis & filiabus attendendæ.

propendente, filiis Noë nupſerunt à pietate cõmendatis: vnde cæteris omnibus miſerando pereuntibus interitu aquis diluuij demerſis, illæ ob ſoceri maritorumque virtutem in arca concluſæ, & orbis conſeruationi reſeruatæ incolumes euaſerunt: illi ſimiliter, qui filias Lot duxerant vxores, Sodomitico eripi poterant incendio ſoceri ſui meritis, ſi ſano illius voluiſſent acquieſcere conſilio: cui ſic Angeli: *Habes hic quempiam tuorum? Generum aut filios, aut filias, omnes qui tui ſunt, educ de vrbe hac.* Tales tibi conquire ſoceros, & ſocros, maritos & vxores filiis tuis & filiabus: hoc enim ex bonis, quæ illis conferre poſſes, erit vel maximum. Ob mariti filiæ ſuæ merita bona hæc vetula domi ſuæ, quidquid boni deſiderare poterat, habet, Saluatorem nempe, qui vires reſtauret perditas, & optatam conferat illi valetudinem.

Gen. c. 19. 12.

Hinc (inquit D. Chryſoſto.) perditionis mundi, quoad matrimonia ſcaturigo, hinc omne malum: quòd nullius rei ratio maior habeatur, quàm facultatum, pulchritudinis, cognationis, nobilitatis, terrenorum. Satis non poſſumus admirari quod de Abraham & Lot eius nepote narrat Scriptura. Egreditur de terra Ægypti Abraham cum Lot verſus Palæſthinam, ad illam accedunt partem: quam Iordanis irrigabat, ambo facultatibus abundabant, eorum quiſque greges alebat pecorum vt minorũ ita maiorum numeroſiſſimos. Cum autem anguſta nimis illa eſſet regio, gregibus amborum alendis paſcua non ſufficiebant: vnde inter eorum ouium opiliones quotidiana diſſidia rixæque emergebant. *Non poterat eos capere terra.* Abrahã vt prudentia præſtantior, ad ſe Lot nepotem vocat, chariſſime, fratres ſumus, nec ratio ſuadet conſanguinitatis, vt quotidie rixarum intricemur occaſionibus. En tota coram te regio, diligenter illam contemplare, quamlibet elige prior partem, ſi dexteram elegeris, ego cum paſtoribus, meiſque gregibus ad ſiniſtram deflectam: ſi hanc volueris, ego alteram occupabo. Attollit Lot oculos & terram omnem diligenter admodum inſpicit, videtque totam Sodomæ regionem fœcundiùs irrigatam, herbis veſtitam ſalutiferis, paſcuis alendis pecoribus abundantem, floribus arboribuſque conſitam, vt terreſtris videretur eſſe paradiſus: *Erat ſicut Paradiſus Domini.* Hanc, inquit Lot, mihi ſeligo: placet etenim: *Elegit ſibi Lot regionem circa Iordanem.* Optatis fortuna reſpondeat, inquit Abraham illam poſſide, illam inhabita ego verò verſus Occidentem, ad terram Chanaan proficiſcar; *Abraham habitauit*

In cap. 24. Gẽ.

Gen. 13. 6.

III. Cur Lot in eligenda regione errauit.

Gen. 13. 10.

[Gen. 13. 10.] *bitauit in terra Chanaam: Lot vero moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.* Addit autem S. Scriptura, declarans, quã imprudenter Lot regionem illam elegerat: *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Multum de electione ſibi ſua gratulabatur Lot; & partem ſuam iudicabat optimam: eo quod terræ fœcunditatem, & opulentiam attenderet, exteriorem eius ſpeciem, arborum celſitudinem; attamen non ad hoc reflexit imprudens, quòd populo propinquaret, & loco iungeretur, peruerſo nimis & intemperatæ cupiditatis, venerisque flagrantiſſimo, quid inde? Confeſtim hoſtes irruerunt, eum captiuum abduxerunt; & ſubſtantiam deprædati ſunt: ita vt extrema neceſſitas coëgerit patruum ſuũ Abraham, arma ſumeret in eius exiret defenſionem, damnaque illata reſarciret: exinde ad tantas impulſus eſt anguſtias vt ſolus comite coniuge, conductis filiabus inde diſcedere cogeretur: & quidquid in Sodomis poſſidebat, domum, facultates, armenta, greges omnia flammis videret interire. Heu te miſerum, qui oculos ſolummodo intendiſti fertilitati, pulchritudini, terræque vbertati, proceræ, & frondoſæ tibi arbores placuerunt: peruerſos populi mores neglexiſti, peccatorem eſſe Deique inimicum non attendiſti.

[IV. Quàm illi ex hoc mala.]

[V. Vnde tot in coniũgijs infortunia.] Deus ita me ſeruet: quoties hoc contingit, quot huic ſimiles in mundo ſucceſſus videmus: quòd alter vt puellam ducat, & parentes, vt filijs de vxore proſpiciant, aut filiæ de merito, ſuos tantummodo oculos reflectant in terræ fœcunditatem & fructuum vbertatem, quòd multæ ſint opes, plures poſſeſſiones parentes honorabiles, & velut arbores frondoſæ in mundo cæteris caput altiùs attollant, qui nec ad mores, nec ad vitæ perfectionem, nec ad Chriſtianam conuerſationem, vel ſemel attendunt: Vnde confeſtim ſequuntur bonorum naufragia, grauioribus affliguntur aduerſitatibus, quas Deus in peccatorum ſuorum permittit iuſtè ſupplicium, nec multo poſt tempore comburuntur omnia, conſumuntur omnia, conteruntur omnia. Huic priùs intendas, talem elige, qui vir ſit timoratus, Chriſtianis ſpectabilis moribus, conuerſatione non reprehenſibilis. [Ho. 48. in Gen.] Ex Abraham diſce (ſic te monent D. Chryſoſt. D. Ambr.) qui licet in omnibus ſe prudentem oſtenderit actionibus, in illa tamẽ ſingulariter, in qua de eligenda vxore filio ſuo Iſaac agebatur, filio ſuo dilecto qui patri ex optimis moribus merebatur eſſe chariſſimus, præſertim autem obedientia commendabilis: cum inſuper eſſet filius per miraculum à Deo conceſſus, ex cuius ſemine familia ſua toto foret orbe illuſtriſſima, eo quod ex ea promiſſus naſceretur Meſſias ô Patriarcha ſanctiſſimus ingraueſcente iam ætate, centum quadraginta annis ſenex, vxore mortua, filio vnico Iſaac, & heredi ex aſſe (a) de ſponſa iudicat prouidendum. Ad ſe vocat famulum, qui cæteris & obſequio & fidelitate præcedebat: *Dixitque ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus, quæ habebat.* Et vult ab ipſo iuramento, quæ tractanda per ipſum erant, confirmari. Noueris, hoc mihi decretum tradere filio meo Iſaac vxorem, quod tibi fidendum iudicaui negotium. Iureiurando Deo pollicere, cuncta ad amuſſim te facturum, quæ tibi præcepero. Primum: *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorũ inter quos habito.* Erant illi namque generatio praua peruerſa & adultera, ex progenie maledicti Cham, ſui patris Noë illuſoris, qua de cauſa maledictionem incurrit & ipſe, totaque eius progenies, populus Deo perfidus, vnde nec ab illis qui ſapiens bonum exſpectat aliquod? *Sed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, vt inde accipias vxorem filio meo Iſaac.* Recogita (inquit D. Ambr. horum verborum ſedulus ruminator) hoc primum eſſe debere, quod in illa tibi ſit ſpectandum, quam filio tuo deſtinas vxorem; fidem ſcilicet, religionem, ac pietatem: quod ſi hoc attẽdendũ ſit in qualibet perſona, cum qua fœdera iungas, amicitiæ, ſeu terrenos inis contractus, quantòpotiori iure ſpectandũ hoc eſſe dicimus in matrimonio: in quo tam ſtricta concluditur vnio, vt dicantur vna caro, & vnus ſpiritus. *Primum ergo in coniugio religio quæritur.* Hoc attendatur, vt perſona ſit fide Chriſtiana, de frequentia Sacramentorum, alijsque pijs operibus laudabilis: *Cognoſcamus primò fidem in ijs, quos volumus nobis adiungere: cum ſancto ſanctus eris, cum peruerſo peruerteris, ſi hoc in alijs quanto magis in coniugio vbi vna caro, & vnus ſpiritus eſt?*

[VI. Ex Abrahã conditiones]

Huic adiungo D. Chryſoſtomum: *Vidiſti mandatum Patriarchæ? ne perfunctorie pertranſeas dicta, ſed cogita mentem & propoſitum iuſti, quo ſpectarit, attende quod non quærebat ſubſtantiã multã, non diuitias, non ſeruos, & iugera agri tot, & tot, non extrenæ venuſtatis formam, ſed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem.* Quæ hæc quæſo morum nobilitas? Erat Cham illius populi pater abiectus & ſeruus, non tam ſeruitute, & carnis vilitate, quàm moribus: quia ſi naturam ſpectes, ex eodem patre Noë originem ducebat ex qua & Abraham, eiuſque filius Iſaac, &

quantum

quantum adhoc non erant illæ mulieres ignobiliores. Sed cum nobiles eſſent filiæ abaui Noë, nobilitate carnali, viluerant tamen ex patre ſuo Cham, vtilitate quæ fuit, abiectio morum & ſpiritus, & quæ peſſima notatur: vnde teſtatur de illis Salomon: *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum.* Nolim vt de illis accipias vxorem filio meo, & hoc ſit primum & maximum tibi mandatum. Bone Deus (exclamat D. Chryſyloſt.) quàm pauci hoc modo procedunt: cum plerumque primum quod in iungendis filijs appenditur, facultates ſint, arua, dignitates, & vbi hæc ſunt, cætera negliguntur: *Nunc omnes tale quid nec cogitant quidem, nam ſi malis in numeris plena ſit, hoc ſolum inquirunt, quantum abundent pecunijs. Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, ſed ad terram & cognationem meam proficiſcaris.* (Meſopotamiam intelligebat) vbi populus fidelis, noti mei, & amici eadem omnes mecum imbuti religione, eademque viuendi conſuetudine, nempe paſtoritia: *Et inde accipies vxorem filio meo Iſaac*, Huic quoque poſſemus inhærere; hoc ſolummodo dico; perpende, quàm exactè ſecutus fuerit Abraham de matrimonijs commune prouerbium: Si vis nubere, nube pari. (a)

Sap. 12. 10.

IX. Mundus ci... ſuus primo ... D. Ch.

Proficiſcitur itaque ſeruus, magnâ comitum catervâ ſtipatus, ſecum trahit decem camelos onuſtos diuitijs, quibus honoret, & oppignoret puellam. Progreditur, & ad regionem appellit Meſopotamiæ prope ciuitatem Nachor vbi frater Abrahæ, cum liberis morabatur. Primum Omnipotentem inuocat, & feruenti poſtulat oratione, viam ſuam dirigat. Supreme Deus, qui ſemper negotijs Abrahæ ſerui tui, & Domini mei benignus fauiſti: & huic tuum præſta ſubſidium, quod tanti ponderis eſſe cognoſcitur, de quo ſecurus hoc copiam ſignum certiſſimum: *Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa reſponderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac, & per hoc intelligam quod feceris miſericordiam cum Domino meo.* O quot vobis hic offeruntur inſtructiones, matrimonijs veſtris ſalutares: etenim quam maximi refert, ad felicem illorum euentum, primo diuinum numen inuocare, poſtulando, quatenus in eo quod acturus es benignam ſuperponat manum, vt optatum concluſio ſortiatur effectum: hoc fidelis ille ſeruus perfecit: Domine, meis quæſo faueto deſiderijs.

X. Seruus Abrahæ ...

Gen. 4.13.

Verumtamen quærit D. Chryſoſt. vt quid, ad eligendam coniugem Iſaac, & certo cognoſcendum, quam illi Deus prædeſtinaſſet, hoc ſtatuit ſignum, vt aquam petenti, nedum eam parata porrigeret, ſed & camelis offert hauriendam? Hæc eſt ratio, reſpondet ille: hanc ſecum rationem iniit: puellam quæro filio Domini mei Abraham vxorem, quæ ex ſancta ſit familia orunda: familia namque Abraham ferret erga peregrinos charitate, comiter illos, & humanè valde excipit ſic vt illis nedum cibum porrigat & potum, ſed etiam, quod mireris, lauet pedes. Tali familiæ talique ſponſo benigno, & humano peregrinis: talis eſt quærenda mulier, quæ & ipſa ſit erga peregrinos effuſa, non faſtidioſa, non parca, non quæ nauſeet aut exhorreat aduenas: *Quia ſciuit Patriarchæ hoſpitalitatem, & quia virginem inducendam iiſdem eſſe præditam moribus congruebat.* Videamus num talibus commendetur conditionibus: num affabilis, comis, liberalis miſericors, quæ non dedignetur exhibere, & ipſis etiam camelis vrbana miſericordiam. His occupatus cogitationibus, & inito cum diuina prouidentia fœdere; en tibi à longè prodit Rebecca ſole venuſtior, hydriam deferens aquam hauſtura, quæ cum diuitem haberet parentem, & in illa regione primarium, vile tamen non refugit humilis obſequium. O quæ illa tempora, & quæ noſtra, & quæ puellarum illius tempeſtatis, & noſtratum conſuetudines? Ad fontem Rebecca propinquat, puella formæ elegantiâ præ cæteris gratiſſima, compoſita, modeſta, matura hydriam implet, humeris imponit, & domum regreditur, occurrit illi procurator Abraham, aitque per ſalutem animæ tuæ, domina, dimitte de ſcapulis hydriam, & potum porrige benigna ſitienti. Hoc libentiſſimè fecero, reſpondit illa maturâ grauitate pacifica, & nedum tibi, ſed ad fontem recurramus, & canales implebo, vt & cameli potum hauriant: potum famulo porrigit, ad fontem feſtina recurrit, (erant autem fontes illi, putei.) aquam educit, implet ad ſummum vſque canales, vt cameli & reliqua animalia adaquentur.

XI. Cur hæc ſtatuitur cõdicio de aqua potu.

D. Chr.

XII. Rebeccæ liberalitas exponitur.

Porro dicit Spiritus S. dum hæc illa ſedulo perficeret: *Ille autem contemplabatur illam tacitus.* Puellæ (loquitur D. Chryſoſt.) conſiderabat compoſitionem, honeſtatem, grauitatem affabilitati ſociatam admirandæ, demiſſos oculos, linguam prudenti ſilentio coarctatam, manus ad opera miſericordiæ quæ ſuſceperat diligenter extenſas. Hæc eſt inquit procurator, ita hæc eſt familiæ Abrahæ conuenientiſſima, & filio Domini coniux optatiſſima, quâ nulla de-

decentior; accedit propriùs, percunctatur cuius es filia? ex qua nata progenie? q. d. noſcamus, ſi libet religionem, quam profiteris, num ex populo fideli, & diuinæ legis obſeruatore? Domine mi, filia ſum Bathuel, filij Nachor, ex populo trahens originem, qui verum adorat Deum, vnde hoc à te quæro, quandoquidem nobis peregrinus adſis, mecum in noſtras diuertas ædes, quas ex Dei benignitate poſſidemus amplas & abundantes, quibus excipi poſſis hoſpitio, cum famulis tuis & camelis; quinimo & paleas, & fœnum vbertim ſuppeditabimus animalibus. His auditis ſeruus in genua procidit, in cœlum oculos attollit, Deo gratias reddit infinitas, quòd illi, mulierem deſtinaſſet filio Domini ſui coniugem deſideratiſſimam: *Inclinauit ſe homo, & procidens adorauit in terram Dominum.* Præcurrit illa famulum ad domum ſuam dirigendo, parentibus, fratribuſque peregrini indicat aduentum. *Vide* (ait Chryſoſt.) *quomodo in ſingulis declaret hoſpitalitatis alacritatem, verbis, manſuetudine.* Fauſtum hoc igitur eſt matrimonium, eſtque hic modus agendi cum filijs, ac filiabus veſtris conuenientiſſimus: mulieres inquirere compoſitas, honeſtas, taciturnas, eleemoſynarias, operarias; quæ non dedignentur, ſuis ipſæ manibus faſtidioſæ opera exercere pietatis, ac miſericordiæ: illas, (inquit D. Chryſ.) primarias oportet inquiras dotes: ſi namque hâc viâ incederes, prægrandia tibi ex nuribus bona naſcerentur, ſicut & huic optimæ vetulæ: nam quia filiam ſuam homini tradidit pijſſimo, vtpote D. Petro, tanta illi bona prouenerunt, vt ipſe Deus per ſuas ingrederetur portas, Apoſtolis ſociatus ſanctiſſimis qui pro illa quoque ſequeſtres intercederent, & cum tam periculoſa febri teneretur infirma, ſalutem illi Dominus contulerit adeo miraculoſam in momento temporis, adeoque fortem, vt continuò ſurgere potuerit, illiſque bene ſana miniſtrare.

D.CH. XIII. Quales ſint vxores eligédæ.

## §.22. Rogauerunt illum. *Magna vi pollet oratio communitatis, vt patet in DD. Petro & Paulo.*

☞ 46 *Ho. 3. de incomprehenſibili Dei natura w. ſiu finem.*

Rogauerunt *illum pro ea.* Si vnius (argumentatur D. Chryſoſt.) ſit tam efficax oratio, quid de plurimorum ſimul cenſendum erit vnitorum? ſi funis quidam eſſe cannabinus adeo fortis, vt vnum filum ligando tauro ſufficeret, quo ſe nequiret loco mouere, quàm vim quæſo haberent multa fila in vnum contorta, quæ rudentem efficerent inſtar brachij craſſiſſimum? Quo valet robore funis ille cannabaceus ligando Deo? vel vnum illius filum ſufficit illi detinendo. Vel vna Moyſi, vel vna Eliæ oratio. Non ſine ratione, in noſtra vulgari lectione de ſponſæ labijs ſponſus prædicat: *Labia tua ſicut vitta coccinea.* Secundum Septuaginta, ex Hebræo legit D. Ambroſ. *Reſticula.* Quid apparet tam exiguæ ſubſtantiæ, quàm vnius Sancti oratio, quæ vix auribus percipitur, aut intelligitur, adeo tamen efficax ac potens, vt Deum ipſum conſtringat fortiſſimum. Si vel vnius, quid erit, ſi multa conglomerentur fila; multi Dei famuli conueniant, & in choro, ſiue ſacello rudentem conſient ex multis filis craſſiorē: ſed eius vobis verba proferamus: *Si omnis oratio tantam vim habet longè magis ea, quæ ore multorū prouenit, valere conſentaneū eſt; plus enimueruo in ea eſt, & multo auditia maior, quàm in domeſtica illa, & priuata.* Extra dubiū eſt (inquit) quòd & ipſi his diebus experti eſtis, efficaciorem coram Rege totius Reipublicæ eſſe petitionem, quàm vnius ex ea particularis. Noui recordamini, qualiter abhinc annis decem, quibuſdam captis ob excitatas in Republica ſeditiones, cum vnus ex illis datâ ſententiâ ad mortem raperetur: populus ad compaſſionem permotus ad Gubernatoris domum, cum filijs & mulieribus ſupplex & medius acceſſerit: tantaque fuit earum vis lacrymarum, precumque eorum, vt ſe victum eſſe Gubernator oſtenderet, reumque à morte ſolutum priſtinæ reſtitueret benignè libertati. Quid ergò? num in Deo minoris eſſe viſcera miſericordiæ iudicatis, ſupremo illo terrarum Principe? nequaquam: *Inter homines populo petenti, Rex multitudine motus, ſententiam, contra ſontes deponit, multò magis Rex cæleſtis.*

Cant. 4. Pſal. 118. ſer. 1.

I. Oratio multorū efficax.

D.Cyp.

II. Simile.

D.Chr.

Huius rei veritas in duobus confirmatur. Primò; in eò quòd D. Paulus de ſeipſo ſcribit ad Corinthios, quibus pericula ſignificat & labores, quos tales patiebatur, vt ſe iam inter mortuos reputaret: *In nobis metipſis reſponſum mortis habuimus.* Sed quòd Deus illum ex omnibus pijs eorū interceſſionibus incolumem eripuerit. Illos vt pro ſe preces votaque Deo offerrent D. Paulus obnixè rogauerat: quod & fecerunt. Ne credideritis modicum mihi per orationes veſtras adueniſſe beneficium (inquit ille) profectò non modicum Deo namque gratias: *Qui ex tantis periculis nos eripuit, & eruit, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis.* Quis ſibi perſuadeat, orationes Corinthiorum D. Paulo patrocinari? numquid eorum vas illud electionis indigebat orationibus? nonne eius vitæ probitas eorum longè merita ſu-

III. Conf. exemplo D.Pau. 2.Cor.1.

pera-

perſ[illegible]a:? Grande latet hic myſterium ex ſententia D.Chr. Ex quo perſpicuè colliges, quanti valeat oratio plurimorum, licet omnes non ſint tanti meriti, quanti ſolus ille, pro quo intercedunt. *Hom. de precib. Deum.*

*IV. Similiter & D. Pet. Act. c. 12.* Secundò liquet in D. Petro, quem Herodes apprehendit, catenisque vinxit, atque tam certò morti deſtinatat, vt iam eum poſtridie producturus eſſet capitis condemnandum. Quid agit Eccleſia? *Oratio autem fiebat ab Eccleſia, intermiſſione, ad Deum pro eo.* Numquid hæc illi profuit oratio? Per omnem quidem modum. Huius enim gratia Deus Petrum à vinculis illæſum abſoluit. Quis quem igitur debet ſuſtinere? Num Petrus Eccleſiam; aut Eccleſia Petrum? Nonne Petrus Eccleſiæ fundamentum? nonne ille, cui Chriſtus commendauerat, vt illam ſuis & orationibus & admonitionibus ſolidè confirmaret: *Confirma fratres tuos.* Hic petit, quantum valeat oratio multorum, inquit D. Chryſoſt. *Quid hac oratione potentius, quæ columnam & Eccleſiæ turrim adiuuat?* & iterum, *Petro Eccleſiæ oratio profuit, & columnam illam, ac ſtabilimen noſtra religionis, è carcere liberauit.* Quis tibi non ex illa fructus? Num arbitraris Eccleſiaſticos ac Religioſos, & qui rogant magnæ non eſſe ſanctitatis? Confide: quia multum valet multorum oratio.

*Luc. 22. 32. D.Chr. Hom. 74. ad pop. Tom. 5. Et hom. 3. de incomprehenſib. Dei natu. Tom. 5.*

Hinc educit D. Chryſoſt. quanti ſaluti tuæ referat, vt orationibus, miſſis communibus, diuiniſque interſis officijs, quæ ab Eccleſiæ communitate perſoluuntur. Ne mihi hoc (inquit) obiecetis, quòd multi dum illos ad hæc exhortor. Nunc domi meæ oro, nunc ad oratorium meũ ſecedo, longumque tempus orationibus impendo, concedamus autem hanc multum referre orationem, longè tamen ea præcellit quæ eſt multorum, & cui plures aſſiſtunt precaturi. *O frigidam excuſationem, quam à pluribus reddi audio: Orare, vel domi poſſumus &c. Te, homo decipis, & magno in errore verſaris: nã etſi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam bene ores, quam in Eccleſia, vbi tot Patres, vbi clamor felici ſocietate excitatus, ad Deum refertur &c.* Omnes coniunctim in Eccleſia orant: licet enim ſolus videatur orare Sacerdos, omnes nihilominus realiter orant: omnes etenim in illo vniuntur, & in eius oreomnium ſunt ora cæterorum: ea namque de cauſa communes orationes dicuntur *Collecta.* Hic enim illius, hic enim alterius, & alius colliguntur orationes, quæ ſi tepidæ ſunt, minus feruentes, & parui ponderis, in vnũ tamen confluentes vires habent fortiſſimas, ſicut rudens ex pluribus contortus filis, quæ tamen ſigillatim ſumpta nullo negotio dirumpuntur: *Eſt in hoc plus aliquid videlicet concordia, conſpiratio, copula moris, & charitatis, Sacerdotum clamoris, vt populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ ſimul in cœlum euehantur.*

*47 D.Chr. V. Similitudine explicatur efficacia orationis multorũ. D.Chry.*

*D.Cypr. Epiſt. ad Preſb. & Diaco. VI. Vnanimitas in oratione neceſſaria. P. 67.* Hanc ipſam doctrinam expendit D. Cypria. qui reſcribens Preſbyteris quibuſdam & diaconis, qui graui contriti calamitate ab eo remedium popoſcerant: ſic eos conſolatur. Solamen obtinebitis, ſi pari voce vnanimes omnes incumbatis orationi: *Pulſemus, quia & pulſanti aperietur &c. Et ſi ſit vnanimis oratio.* Et ne meum dicatis hoc eſſe figmentum, ſcitote quod hic mihi dominus reuelauit: *nam quod magis ſuaſit, & compulit, vt has ad vos litteras ſcriberem, ſcire debetis (Sicut Dominus oſtendit, & reuelare dignatus eſt) dictum eſt in viſione: Petite & impetrabitis.* Hoc autem ſcitote, quod prætentis vicibus (inquit) quibus ad orationem conuenitis, vos Dominus non exaudierit, imo repulerit: quia non vnanimes conueniſtis: *In petendo fuiſſe diſſonas voces, & diſpares voluntates, & vehementer hoc diſplicuiſſe illi qui dixerat: Petite & impetrabitis quod plebis inæqualitas diſcreparet, nec eſſet fratrum conſenſio vna ſimplex, & cuncta concordia, cum ſcriptum ſit. Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.* Vultiſne remedium afflictioni; vnanimes omnes in oratione conueniant Audite Domini promiſſionem: *Dico autem vobis, quoniam ſi duo, vel tres conuenerint in nomine meo ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Si duo vnanimes tantum poſſint, quid ſi vnanimitas apud omnes eſſet? Quid ſi ſecundum pacem, quam nobis Dominus vniuerſis mandat fratribus, conuenirent? Iam pridem de diuina miſericordia impetraſſemus, quod petimus, nec tamdiu in hoc periculo fluctuaremus.* *Matt. 18. 19.*

*VII. Oratio præmittenda prædicationi. D.Chr.* Ex eodem fundamento colligit idem D. Chryſoſt. quanti momenti ſit ad Eccleſiam conuenire, ijſque intereſſe concionibus. Nemo mihi dixerit, (inquit ille) ſacros domi peruoluo libros, & collationes audio ſpirituales. Hic namque in Eccleſia prædicationem communis præcedit oratio, quâ diuina gratia poſtulatur, vt concio fructum proferat vberrimum: hæc etenim opus eſt, vt præmittatur: *Adde, quod nihil fructus ex homilia capi poteſt, niſi oratio adiungatur, & ſermonem oratio debet anteire.* Hoc ipſum in Apoſtolis (loquitur) conſidera; qui ita negotia diſponentes; vt expeditè poſſent vacare prædicationi, quoſdam alijs electos deputant Eccleſiæ miniſterijs: *Conſiderate (inquiunt) viros &c. quos conſtituamus ſuper hoc opus; nos vero* *Act. c. 6. 4.*

*orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Optimè prædicationem orationi coniunxerunt: exiguus enim ex prædicatione fructus percipietur, niſi præceſſerit oratio, quâ à Deo gratia poſtulatur, per quam cor verbo Dei recipiendo præparetur. Ideo Princeps prædicatorum D. Paulus, ſemper in exordio ſuarum Epiſtolarum, quas cœleſtes

D. CHRY. & eminentes dicimus conciones, exorditur cum oratione, pro illis intercedens, ad quos litteras dabat, vnde de illo ſic D. Chryſoſt. *Sic Paulus facit cum in exordijs ſuarum Epiſtolarum orat, vt perinde quaſi lumen lucernæ lux ipſa orationis regat ſermonem ac dirigat.* Vnde perſpicuum eſt, non eſſe quid noui, quando prædicationi noſtræ præmittimus orationem quâ Spiritus S. gratiam

D. CHRY. Ho. de regreſſu de Aſia Conſtantinopolim. Tom. 5. p. 841. implor amus, precibus & interceſſione Virginis puriſſimæ Mariæ.

In mentem vobis veniat (inquit idem D. Chryſoſt.) Quanti commodi fuerint fidelium orationes D. Petro, quarum intuitu Deus illum è carceribus eripeit; occurrat vobis, quantum D. Paulo profuerint, cum per illas tam illuſtres triumphos in ſuis reportarit prædicationibus: *Eccleſiaſtica oratio ſoluit vincula Petri, & Paulo dilatauit prædicationis fiduciam. Proinde fratres, chariſſimi, tale à vobis munimen requiro, talem gratiam poſtulo, vt Deus gloriæ ſuſcipiens orationes veſtras det mihi in apertione oris ſermonem, quo poſſim populum mihi creditum inſtruere ad ſalutem.*

VIII. Orationes communes efficaces.

Hinc quoque capies, qui tibi fructus profluere poſſit ex ſacro pro te in communitate celebrato, ex mortuorum anniuerſario per multos, in animæ patris tui beneficium, & quàm prudenter agas, dum ſatagis vt religioſi ac Sacerdotes orent pro te communi ſuffragio, quàm iuſtum ſit, quòd in teſtamento condas aniuerſaria, communeſque orationes, vt illa celebrent, & has faciant multi in optimum tui remedium: vt enim dixit D. Chryſoſt.

D. CHRY. Ho. 2. in 2. Corint. Tom. 4.

*Reueretur Deus multitudinem vnanimem, & conſentientem in precando, vt veluti pudore victus, non auſit illis negare.* Verba admodum hyperbolica: ſumpta ex diſſimili multum efficacia, quâ pollent apud Principem ſeu Regem libelli ſupplices & orationes vnius ciuitatis coadunatæ, genibuſque prouolutæ, reſpectu earum, quas ciuis quidam offert ſingularis. O feliciſſima mulier, multi concordes pro te ſupplicant, ſecura certaque erit tuæ ſalutis impetratio.

## §. 23. Stans ſuper illam. *Cum Dei manu, tua quoque in tuam requiritur ſalutem.*

STans ſuper illam imperauit febri. Hæc propoſitio *Super* idem ſignificat ac *Iuxta*, q. d. Cum Dominus eſſet iuxta illam, vel accedens, & ſtans prope lectum, in quo decumbebat infirma. Hæc eſt S. Scripturæ phraſis ordinaria. Hoc ſenſu exponit D. Auguſt. illud Dauidis, quando de terra loquitur: *Ipſe ſuper maria fundauit eam.* Non fundatur ſuper aquas terra, ſed *Iuxta maria.* Simili modo declarat. Quod de Pharaone ſomniante dicitur: *Putabat ſe ſtare ſuper fluuium*, & illud Pſalterij: *Super flumina Babylonis illic ſedimus.* Nemo ſapiens hoc intelligat, quòd ſuper flumina, ſed iuxta reſederint. Idem indicat Daniel de viro quem vidit *ſuper aquas:* Quod ipſemet exponit, dum ait: *Super ripam fluminis:* itaque idem erat *Super aquas*, & *Iuxta aquas.* Eadem phraſi declaratur, quod ait Iſaias de throno Dei: *Seraphim ſtabant ſuper illud*, quod idem eſt ac ſi dicat: *Iuxta illud.* Similiter quod de Rege Ozia dicitur: *Orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini, ſuper altare.* Non erat Ozias ſuper altare, ſed iuxta altare, quod acceſſerat incenſum oblaturus. Hoc modo locus quidam exponitur, qui multis non leue faceſſit negotium; quando Dominus Moyſi apparuit in monte Sinai, vel Horeb, eumque miſit, vt de ſeruitute populum educeret Ægyptiaca, illi hoc præcipiens: *Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Nuſquam inuenio, quòd in monte illo Domino populus victimas immolauerit: vnde illud: *Super montē iſtum*, ſignificat non ſuper, ſed *iuxta montē.* Et ſic ſe res habuit quàm primùm eum populus egreſſus eſt de Ægypto, primum ſacrificium quod obtulit, oblatum fuit iuxta montem Sinai, cum ad Sinai deſerta peruenisſet: vt in Exodo legimus.

Sic quoque capiendum eſt verbum illud: *Stans ſuper illam*, quòd Redemptor noſter, ad lectum appropinquans, in quo febriens decumbebat, erectus ſteterit. *Stans:* Situs hic (inquit D. Gregor.) illum indicat, qui paratus eſt alium adiuuare: quocirca in Euangelio licet Euangeliſta Marcus dicat de Chriſto: *Sedet à dextris Dei*, illum tamen D. Stephanus ſtantem vidit: exclamat enim: *Ecce video cœlos apertos, & filiū hominis ſtantem. Scitis, quia ſedere iudicātis eſt, ſtare vero pugnantis, & adiuuātis, &c.* Itaq; erectus in pedes ſtetit

iuxta ſtratũ, & paululũ ſe inclinans ſuper illã, eò modò quò tu ad infirmum accedens, in ſtrato humiliori decumbentem, paululum corpus inclinas verſus illum, & manu apprehendis: ita Chriſtus, & clariùs id expreſſit D. Marcus, eandem narrans hiſtoriam: *Accedens eleuauit eam, apprehensa manu eius, & continuo dimiſit eam febris.* Quærit D. P. Chryſol. *Quæ neceſſitas tangendi illam, vbi inerat vis iubendi?* Mirabilis, medicina; illam manu apprehendit; vt ſanitatem impertiat, & ab infirmitate febris liberauit, ita vt connecterentur infirmæ Chriſtique manus, quo diſcas, (inquiunt D. Chryſ. & D. Cyrill. Alex.) vt curentur tuorum febres peccatorum, non omnia Dei eſſe manui committenda, ſed & illius tua quoque coniungenda: quod optimè dixit infirmus ille grauis: tam mortalibus æger infirmitatibus, adulterij, homicidij, proditionis, & ſcandali; hoc eum modo Dominus curauerat: *Tenuiſti manum dexteram meam.* Numquid omnia ſola poterat Dei manus operari? Nonne creditur omnipotens? Vtique, verum in iuſtificationis ſalutiſque negotio, neceſſe eſt vt tua quoque manus operetur: Idcircò (teſte D. Aug.) canit idem Dauid: *Adiutor meus eſto Domine.*

Mar. 1. 31. — 49 D. P. Chryſol. Ser. 18. — III. Quid curatus ille manus iniecit. — Hom. 6. in Marcum. Lib. 1. de Adorat. — Pſ. 72. 24. — Ser. 94. de temp. Pſ. 26. 9.

Tunc diceris alium adiuuare, quando tu non omnia facis, ſed manus tua fauorque tuus ac robur illius coniunguntur manui &c. Ideo medici ſe dicunt: *Adiutores naturæ*: non enim illi faciũt totum ad ſalutem requiſitum negotium, ſed ſuas ipſi applicant vires, & naturæ viribus connectũt, & ſic pari manu ad eundẽ cooperantur effectum. Lapidem, quem de puteo educis, non diceris adiuuare, quando illum extrahis; quia ad hoc ipſe non concurrit motu ſuo, nec adiuuat, ſed dicis, ego ſolus illum extraxi, quòd Dauid Dominum roget, vt ſit illi adiutor, id intelligimus, vt manũ apponat, eamque quæ Dauidis eſt, corroboret, & pariter ad opus concurrant. Hinc declarat D. Aug. duas Apoſtoli propoſitiones ad Philippenſes. Primùm, exhortatur illos ſedulò: *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini.* Cui immediatè illud addit: *Deus eſt, qui operatur in vobis.* Vbi ſic D. Aug. *Si Deus eſt, qui operatur in nobis, quare dictum eſt: veſtram ipſorum ſalutem operamini.* Reſpondet autem: *Quia ſic Deus in nobis operatur, vt nos ſimul operemur.*

IV. Dominus cur noſter dicatur adiutor. — Philipp. 2. 12. — D. Aug. Serm. 94. Dom. 10.

50 Hoc modo de peccato reſurges, & ineffabiles atque ineſtimabiles animæ tuæ diuitias lucraberis. Non eſt quid vulgare quod narrat Spiritus S. de Iacob. Ad domum proficiſcitur Laban Patrui ſui, duas eius filias ſibi ſumpſit in vxores: quatuordecim illi fidelis ſeruiuit annis, in cuius obſequij ſolutionem, ambas illi tradidit in ſponſas: mos enim inoleuerat, vt mercedem ſoluerent per mulieres, quas nuptui tradebant, & Laban ſatisfecit Iacob dum illi pro traditis filiabus obſequij quatuordecim annorum rependit mercedem. Ex quibus vndecim procreauit liberos ſex ex Lia, quatuor ex duabus ancillis, quibus ſimiliter, vt vxoribus vtebatur, & vnum de Rachel. Regreſſum ad domum paternam cogitat, & à Laban eundi poſcit licentiam: *Dimitte me vt reuertar in patriam, & ad terram meam.* Cui Laban *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te conſtitue mercedem tuam quam dem tibi*: Hoc ſolum requiro, hic in domo mea permaneas. Conditionem Iacob concludit: *Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues varias & ſparſo vellere, & quodcumque furuum, & maculoſum variumque fuerit, tam in ouibus, quam in capris, erit merces mea &c. & omnia quæ non fuerint varia & maculoſa, & furua, tam in ouibus, quam in capris, furti me arguent.* Sic mihi faueat Deus, inquit Laban, *Gratum habeo quod petis.* Sicque contractus ad Labani ſancitur beneplacitum. Primò: quia Iacob vellera nigra & alba Laban addicebat & illa quæ maculoſa forent ſibi reſeruabat, quod iudicabat magis eſſe ſibi proficuum: non enim ſperabat, quod omnia, quæ naſcerentur vel ſolum alba, vel ex integro nigra forent, maiorque pars ſibi cederet. Secundò: quia ex mente Diodori apud Lypoman. in Meſopotamia lanæ ſeu vellera pretioſiora, erant ex integro alba, vel nigra. Cum autem tanti ſpe lucri, quale ſibi proponebat, ardentiùs excitaretur, placuit illi quod Iacob proponebat. Iacob egreditur ad paſcua, & greges deducit, hocq; de virgis egit facinus; virides diſcindit virgas planatorum, ſalicum, amygdalorum, & quibuſdam cortices detrahit; Vnde: *In his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit.* Aliæ verò non decorticatæ ſuum ſemper viorem retinuerunt ſicque varij in virgis colores apparuerunt. Illas in canalibus expoſuit, quibus aquam pecoribus bibendã infundebat, quando verò ad potum greges accedebant, eorum oculis virgas illas oppoſuit, vt eas ſpectando cõciperent. Bolus ereptus eſt de ore Laban, & in ſpem fruſtratam incidit. Dum enim oues ad variarum conſpectum virgarum concipiunt, varios quoque & maculoſos, enituntur agnos, vnde ex inito contractu, quaſi totus grex in partem cedebat Iacob quid non hic SS. Patres comminiſcuntur?

Gen. 30. 35. — V. Experitur factum Iacob de virgis decorticatis.

D. Hier. opinatur, quòd ex eò quòd oculis in concipiendo proponitur, oritur, vt ſimile quid naſcatur; indubium enim eſt, tum temporis imagi-

In qq. Hebraicis.

imaginationem fortiter operari, quæ ex illis, quæ oculis obijciuntur, excitatur. Ita de alia loquitur, quæ nigrum peperit filium, quia concipiendo, de Æthiope cogitabat; & ex certa hoc refert D. Hieron. relatione, qui caſum ſic eſſe confirmat. Et hypocrates idem de alia narrat. Et experientia noſcitur, quia equæ, quando concipit, obijciunt conſpectui equos generoſiſſimos vt pullus in partu enaſcatur pulcherrimus. Idem ſimiliter in D. Auguſt. legimus. Vtrumlibet ſit, hoc certum aſſerimus, id à Iacob Angeli monitu ex parte Dei practicatum, vt idem ipſe confirmauit. Modò recurrit dubium: quo iure hoc agere potuerit Iacob: cum hoc ſit dolis vti, & Laban illudere? Hoc illi Angelus Dei nomine præcepit, & facti non tacuit ipſe rationem: *Vidi omnia, quæ fecit tibi Laban, Ego ſum Deus Bethel vbi vnxiſti lapidem*, &c. Iniurias, quibus te Laban affecit attendi. Conuenit tecum vt illi ſeptennio gratis ſeruires, & Liam tibi fraudulenter ſuppoſuit, in eius coëgit conſentire matrimonium; deinde mirò inter ambos contractu, vt Iacob ſibi tolleret oues varias & maculoſas, ſeparauit Laban gregem, & tantum illi nigras & albas conceſſit. Tandem voluit Deus, vt eum inde diuitem & multis facultatibus educeret opulentum, vt autem illa omnia Iacob recuperaret, in quibus eum Laban circumuenerat, decreuit (inquit Abbas Rupertus apud Lypom.) vt illa ſibi licita fraude conſuleret & illata per Laban damna compenſaret.

*In qq. ſuper Gen.*
*In c. 31. Gen.*

Verum grauior ſe modo nobis offert quæſtio. Si Deus voluerit inde Iacob probè ditatus egrederetur, quid opus erat hoc virgarum ſtratagemate? Non poterat Deus his omiſſis ditare Patriarcham, vt illi per omnia ſatisfieret? Nemo dubitat. Et ad hoc ſufficiebatur illud de virgis ſtratagema? In negatiuam partem inclinant multi; quòd ſi contrarium ſenſeris; experire, ſi namque hoc probare volueris, non ad votum, ſicut Iacob, tibi ſuccedet. Quare credunt D. Cyrill. D. Chryſ. & Theodoret. quod hoc minimè fuerit naturale. Ad quid igitur hæc omnia? Vt ex illis addiſcas, quòd ſi veras conquirere ſtudes diuitias, quæ nulli ſubijciantur iacturæ & incommodo, tibi ſit ex parte tua, quidquid potueris agendum. Carnem hanc decortica, hanc crumenam, hunc ſuperbiæ ſpiritum, totum excoria, & diues euades, & ex animi ſuccedent cuncta ſententia. Congruè D. Auguſt. non eſt, inquit, quòd ſtudioſiùs inquiras quales fuerint illæ virgæ, nec qua virtute ad talem valuerint effectum. Verò veriùs eſt, at quòd Iacob hoc egerit vt Propheta, & in illo docere nos modum intenderit, quo veras conquiramus nobis diuitias. Inſuper & idem ſentit D. Chryſoſt. *Hoc faciens iuſtus, non à ſeipſo mouebatur, ſed inſpirante menti eius ſuperna gratia, neque iuxta naturæ ordinem erat, quod fiebat, ſed valde admirabile, & naturalem modum tranſcendens.*

*Q. 93. in Gen.*
*D. Ch.*

§. 24. **Apprehenſa manu eius:** *Manus Saluatoris & infirmæ confluunt, vt ipſa reſurgat incolumis: veſtra namque in tuam requiritur ſalutem: & quantumlibet boni feceris, ex illa pendent virtute, quam illi Redemptor contulerit.*

ELeuauit eam apprehenſa manu eius, & continuò dimiſit eam febris. Pro huius confirmatione & expoſitione doctrinæ, perpendunt accurate SS. Patres tres illas parabolas quas Chriſtus conſequenter propoſuit, quibus omnibus eminenter, diuinaque ſapientia myſterium noſtræ declarat iuſtificationis, & quid ad illam de neceſſitate medij requiratur.

*Luc. 15. Tribus parabolis iuſtificationis negocium exponit.*

Prima fuit ouis, quæ ſpontè ſua, ſua inquã ſtultitia ſe perdidit, cuius omne remedium, ab ipſius gnaua paſtoris diligentia dependebat, qui illam quæſiuit, donec inueniret, inuentamque ſuis impoſuit humeris, atque in ouile lætus perduxit. Secũda, de gemma mulieris perdita, quàm cum illa per incuriam perdidiſſet; illa laborat inquirere, domum euertit, nullum non mouet inquieta lapidẽ, donec illam inueniſſe ſe gaudeat. Tertia, filij prodigi, qui nemine cogente, ſua ductus voluntate, paternis egreditur ædibus, patri terga vertit, in regionem longinquam, vbi diſſipatis, quas à Patre ſuſceperat, facultatibus: tyranni ſe ſubiecit ſubulcus ſeruituti; parum attẽdens, quod illuſtriſſimi ac ditiſſimi eſſet parentis filius, in eaque permanſit, vſque dum vrgente fame, in ſeipſum reuerteretur, & ad memoriam reuocaret abundantiam ac paternæ domus celſitudinem, ad illam reuerti proponens, pedibus patris aduolutus præteritorum culpam agnoſcens, paternam poſtulaturus indulgentiam, quàm & obtinuit pleniſſimam.

Expendunt SS. Patres, quòd in prima parabola de oue perdita, Dominus omnem eius felicitatem; ſedulæ adſcribat diligentiæ paſtoris, ac ſubſidio quo perditæ ſubuenit, nec non ſuarum virtuti manuum, quibus eam ſibi impoſuit; atque brachiorum viribus, quibus errantem reduxit ad

ouile,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ouile, ſic vt nihil ex parte deſignetur ouis, quod ipſa in ſui ipſius feciſſet inuentionem. Eodem quoque modo omnis drachmæ perditæ bona fortuna, vt inueniretur, ex mulieris proceſſit inquieta ſedulitate: etenim ipſa lucerna accendit, ipſa domus euertit cubicula, ſupellectilem euertit, omnem adhibens, vt inueniretur, diligentiam, ſic vt drachma perdita nullo modo concurreret & cooperaretur, quo recuperaretur. In tertia verò ac vltima proponit Chriſtus filij prodigi remedium, quaſi totum hoc ex ipſo profluerer, de quo fatetur: ipſe in ſe reverſus, & ipſæ paternæ domus vberrimam recolligit affluentiam, ipſe ad patrem reuerti proponit, ipſe ſe proſternere, veniamque rogare tota cordis contritione, & oris confeſſione determinat.

Deſignat autem Redemptor noſter, his parabolis ſimul iunctis, id quod in noſtræ iuſtificationis negotio concurrit: ad quam primum ac principaliter, adeò neceſſarius eſt præcurrens diuinæ gratiæ fauor, nullo noſtro præcedente meritò, vt omnia Deus agere videatur, ipſe quærit, ipſe peccatorem inuenit, & in potentiſſimos piiſſimæ miſericordiæ ſublatum humeros ad cœleſte reducit ouile, ita vt miſericordiæ peracta victibus imputentur. Ex altera verò parte, ita tua neceſſariò requiritur diligentia, & quidquid ex tuo fieri poteſt, vt te ſolum omnia feciſſe videatur. Tuum eſt iniquum reſcindere contractum, aliena reſtituere, laſciuiæ domum ac ſocietatem deſerere, Deũ inuocare, qui ſeſe benignus offert in Confeſſario, tui muneris eſt ad pedes miſericordiam expoſcendo cum prodigo clamare: *Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* Et hoc eo modo, vt quis te ſolum dicat omnia perfeciſſe. Idcircò Chriſtus has tres ſimul propoſuit ſimilitudines: nec vna ab altera eſt feiungenda: ſi namq; per duas priores tibi Chriſtus exponat, adeò neceſſarium eſſe diuinæ gratiæ donum ad tui iuſtificationem, & vt ad eam ipſe cum omni bono ita concurrat, vt opus diuinis tantummodò videatur manibus adſcribendũ; per tertiam indicat, ita tuam requiri diligentiam, tuũ adeò perfectè concurſum, & ex toto corde conatum, vt opus tuis tantũmodò viribus credatur imputare neceſſarium, vt tu diuinâ roboratus gratiâ, cum prodigo in teipſum reuertaris, infortuniũ attendas, ad quod tua te traxit damnanda libertas, qua refugus Deum deſeruiſti, iam tuorum factus viliſſimis ſubulcus appetituum: tuum eſt de libidinoſi exſurgere ſuili concubitus, abiecto illi valedicere ſtatui, ad meliora reſpirare, tu cum Deo, & Deus tecum, vt dicere poſſis; *Laboraui, non ego* ſolus, ſed gratia Dei mecum.

1.Cor. 16.11.

*ſolus, ſed gratia Dei mecum.* Quantũ coniicio verbis illis alludit, quibus cœleſtis ſpõſi ſponsã ſibi dilectiſſimam inuitat amoroſius: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amanæ, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Verba plena myſterijs; quæ Barradius expendit, notans, quòd ex Hebraico ſic legitur: *Veni mecum de Libano ſponſa, mecum de Libano.*

Cant. 4. 8.
Tom. 4.

Primò conſiderandum, ad quid ſponſam euocet: *Veni coronaberis.* Non te vocat vt te perſundet, non vt tua puniat ingrate faſtidia, non ob propria lucra, ſed in tantam tuam vtilitatem, vt te regnorum omnium ſuorum regẽ coronet: *Vocauit nos in ſuum regnum & gloriam.* Illam vocat, veniat de Libano, de monte Amana nã hoc ſignificat: *De capite Amanæ, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorũ.* Sunt autem hi montes cæteris ob ſingulares qualitates, celebriores, Libanus ex altitudine, & cedrorum abundantiam, ex paſcuis vberrimis, in quibus vituli alebantur craſſiſſimi; quos Dauid appellat: *Vitulos Libani.* Amana, dicit D. Thom. mons eſt in Aſia nominatiſſimus, quem Coſmographi dicunt Taurum, cuius celſitudinem, ſitũ & conditiones ex induſtria deſcribit Plin. Sanir & Hermon ſunt eiuſdẽ montis partes in regione Palæſtinæ, tantaq; montes hi cõprehendunt myſteria, vt plures dies explicandis vel minoribus non ſufficerent. Attamen curſim dicamus, mundum ſignificare; nec non montes illos, quos vidit D. Ioannes in eo præ cæteris caput attollere celſiores, ſuperbiam, auaritiam, & luxuriã: *Omne quòd eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* Quàm præcelſus mons Libani ſuperbiæ, ex multitudine cedrorũ, terræq́, paſcuis fœcundus, ad hunc præcepit Hieremiæ Deus vt accederet, & eius incolis altiùs intonaret: *Aſcende Libanum & clama, &c. Quæ ſedes in Libano, & nidificas in cedris; venient tibi dolores parturientis.* Væ tibi qualis hunc perambulas montem, tua ſuperbus ſiſuſq; abundantiâ, Dei tuæque immemor miſeriæ, pauperum deſpector, ad ſidera caput attollens, ad diuinas ſurdus voces: hoc quippe ſubiungit Propheta: *Locutus ſum ad te in abundantia, & dixiſti non audiam.* Mons autem Amana ſymbolum eſt auaritiæ. Amana namq; interpretatur: *Auis nocturna.* Conſidera vitum auarum & diuitiarum ſitientiſſimum, quàm obſcuro laboret intellectu, vaporibus nebuliſque obcæcato ex cupiditatis ardore emergentibus, & vt ait Apoſtolus: *Tenebris obſcuratum habentes intellectum.* Velut veſpertiliones, aues

1.Th ß. c.2.12.
II. Symbolicè mõtes hi explicantur.
Pſal. 28
In c.4. Cant.
L. 5. c. 17.
1.Ioan. c.2.19.
Ca.22. 10.
Ab. Rupert. l. 3. in c. 4. Can.
Epheſ. 4.18.

aves rapaces, hinc illinc colligentes, hunc ſpoliantes, illi vngues iniicientes ferreos. Sanir & Hermon ſibi ſinem denotant, in quibus inordinatus paſcitur carnis appetitus. Sanir & Hermon dicuntur: *Deſtructio ſiue anathema, & rete ſiue retiaculum.* Præclara luxuriæ ſymbola, deſtructio & rete, quod vitium ita deſtituit & diſſipat omnia; nomen, opes, ſanitatem, & vitam ſicut hoc? Hoc te docet in ſeipſo prodigus, quale peccatum ita fortiter & irreparabiliter illaqueat rapitque hominem, ſicut hoc?

*Vide Hieron. Lauret. To. 1. Sylua, verbo Hermō.*

☞ 52 Congruè loquitur Spiritus S. ſtultum deſcribens petauriſtā, occurrentem meretrici, cui quatuor in aurem verba ſuſurrauit: *Et irretiuit eum multis ſermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum, ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam.* Verba ſunt hæc, quæ aliàs expoſuimus. Videt te Dominus feſtino gradu ad animæ perniciem æternamq; mortē properantē: te vocat, & acclamat: *Veni de Libano ſponſa, veni de capite Amana, &c.* O Anima, quæ ſuperbis tuis inflata vanitatibus in æternam properas perditionem. O anima, quæ ſuperato montis Amana vertice tuæ cupiditatis altiſſimo, in profundo demerſa dānationis. O anima quæ bonorum omniū, quæ poſſides; pateris ex inhoneſta conuerſatione naufragium, exſurge, propera, mons te meæ præſtolatur gloriæ vbi te reginā coronare deſidero. *Veni de Libano, veni de vertice Amana, veni de vertice Sanir & Hermon.* Quid hoc Deus omnipotens? numquid tibi eſt impoſſibile, illam manu apprehendere, & tuæ viribus aſſumere cuncti potētiæ? Nonne tibi brachium eſt adeo forte, quo poſſis hunc etiam grauiſſimum peccatorem de ſuorum profundiſſima educere criminum abyſſo, & in cœleſtem erigere, mutareq; Seraphinum? Poteſt, nemo contradicit: attamen hoc vult, & neceſſariū eſt, vt eius manui tuam aſſocies, & illo ſuam extendente, tu diuina adiutus gratia, tuam pariter extendas; ita vt ambæ manus ſimul cooperentur? *Veni mecum de Libano ſponſa, veni mecum de Libano. Hoc eſt: Apprehenſa manu eius eleuauit eam.*

*Pro. 7. 21.*

III. Dei hominiſq; manus neceſſaria.

Nota verò quod licet manus interuenerit mulieris in recuperanda ſalute, quidquid nihilominus boni manus illa fecerit, totum ex ea proceſſit virtute ac viribus, quas illi manus communicauit Saluatoris: quia quidquid boni in tuæ feceris opus ſaluationis, totum hoc virtuti manus diuinæ adſcribendum: quoniam nec tuam poſſes attollere, vel ad vnam ſaltem piam cogitationem; niſi Dominus ad hoc tibi vires miniſtraret, vt teſtatur Apoſtolus: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt;* de quibus alias egimus. Ad candem ſpectat doctrinam, quod interprete D. Aug. ſcribit ad Epheſios: *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis.* Rogo vos, fratres, ne ob toleratas à me varias afflictiones veſtra langueſcat et naſtarta, & deficiat firmitas in eo, quòd vos docui, & ſtatim adiungit: *Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. vt det vobis ſecūdum diuitias gloriæ ſuæ corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem.* Quid ais Apoſtole Chriſti, vel illi agere poſſunt, quod ab illis poſtulas, vel non, ſi non, cur hoc expoſtulas? Si poſſunt, vt quid hoc à Deo requiris, ipſis hoc concedat? Optima ratione. Quod enim ab illis requirit, pendet ab vtriſque, Deo & ipſis: etenim certum eſt; eorum neceſſariam requiri voluntatem, & ad opus iuſtificationis conſenſum, ſine quó, Deus hoc ſolus, non faceret, ſimiliter & neceſſarius erat diuinæ gratiæ fauor, quaſi dicat, ſic interpretatur D. Aug. *Quia voluntatis habetis arbitrium, peto, quia vero vobis voluntatis non ſufficit arbitrium ad implendū, quod peto, huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Ch.*

*1. Cor. c. 3. 5.*

*Epheſ. 3. 14.*

IV. Iā in ſuper Apoſtolus.

*D. Aug. Ser. 3. de verbis Apoſt.*

Ad memoriam reuocate quæ diebus præteritis diximus: ſicut luſus eſt quidam, manus ad manum, ſeu vnus contra vnum, & ſocietatis, ita duo ſunt opera Dei, vnum, ſolius manus ipſius, alterum cum veſtra, ſocietatis. Hæc duo opera ſubtiliter indicat vates Iſaias, vt expendit D. Cyrill. Alexand. *Hæc dicit Dominus creans cœlos, & extendens eos, firmans terrā, & quæ germinant ex ea, dās flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eā. Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſanaui te.* Diuina planè verba; & quæ maximè saluti conueniunt, quam Chriſtus infirmæ tribuebat. Hic omnia Dei opera perpende, quædam ſolius Dei, manus ad manum, qualia ſunt, creare, & extendere cœlos, fundare terram, arbores producere, & herbas in illa, ſpiritum infundere viuentibus, & vitam his, qui mundum perambulant. Attamen, opus iuſtificationis veſtræ ac ſalutis ipſe primus inchoat: *Ego vocaui te in iuſtitia.* Ego te excitaui, vt iuſtificarem, ego tribui huic operi principium, & *Apprehendi* manum tuam; manum meam copulaui tuæ, *& ſanaui te;* hoc modo tibi vitam largitus ſum. Videtur illi alludere, quod de Ioas Rege ſcribitur. Superponit vates Eliſeus in arcu manus ſuas regis manibus, & inquit: *Sagitta ſalutis:* hæc eſt, ita hæc eſt ſagitta ſalutis, quæ de vtriſque ſimul iunctis egreditur manibus. Idem quoque notat D. Chryſoſtom. contigiſſe D. Petro in eius de maris periculo liberatione: iam fluctibus mergebatur, & apprehendit Chriſtus Petri

*Lib. 1. de Alex. Iſa. 42.*

V. Ex ſolo Iſaia.

*4. Reg. 13. 17.*

*Hom. in Matth.*

manum,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

manum, ita vt ambæ conuenirent manus; quibus ſubmerſionem euaſit incolumis. Quid tibi perſuades, quòd Deus ſolus te ſaluabit, ſi nuntium concubinæ non remiſeris? Quòd te iuſtificabit, ſi malè parta non reſtitueris? Quòd peccatorum tibi veniam indulgebit, ſi veram non fueris aggreſſus pœnitentiam? Tuamne rogas à Deo ſanitatem? da & tuam exporrige manum, illiuſque manus coniunge, hoc velis quod ipſe, illam, quâ te dirigit, viam inambula.

### §. 25. Singulis manus imponens. *Imponunt manus ſuas Confeſſarij ſingulis pœnitentibus in particulari illos curaturi.*

☞ 53 OCcidente ſole, (teſtatur Euangeliſta:) *Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus ducebant illos ad Ieſum, at ille ſingulis manus imponens, curabat eos.* Fontem hic attende cœleſtem, quomodo de horto profluat in hortum, ſalutiferis quemque fœcundans aquis: *Singulis imponens.* Deinde eius conſidera bonitatem, quâ nullum dedignatur, vnde ſicut diuitis, ſic & pauperis capiti manus imponit, *ſingulis manus imponens:* nemini deficit, omnibus ſuccurrit, implens

Sap. c. 6. 8. illud Spiritus S. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Speculum eſt diuinum, in quò omnes, & quiſque ſingillatim tam diſtinctè repræſentatur, ac ſi ſolus fuiſſet. Tandem perpende curandi modum admirabilem: *Singulis manus imponens* numquid inualidus erat omnes vno ſanare contactu generali, quid neceſſe fuit ſingulis manus imponeret, tangeretque ſingulatim eos curaturus: imò de D. Petro ſignanter dicit D. Lucas, vt not. D. Chryſoſt. quod tantâ ſanandi virtute vigeret, vt accedentibus infirmis, & in grabatis publicè expoſitis, eiuſque aduentũ præſtolantibus, ipſe per publicas vrbis plateas incedens, vmbrâ ſuâ illos obumbrante, cunctis optatam conceſſerit valetudinem. Profundum honoro myſterium: Nota quòd intus in domo Petri, domus ſit ſalutis: verumtamẽ aduerte; quòd illa in nõ quomodolibet curẽtur infirmi, ſed imponendo ſingulis manus, & vnumquemque tangendo ſigillatim.

I. Cur Chriſtus ſingulis impoſuerit manus? Actor. c. 5.

II. Duo remedia ſalutis, baptiſmus & pœnitentia.

Duo Saluator noſter inſtituit remedia in domo Simonis, quæ eſt S. Eccleſia, curandi infirmos, & vtraque efficaciſſima. Vnum his prodeſt qui deforis veniunt, vt in eam mundi, ſanique ingrediantur: vult enim, vt qui illam ingrediuntur, mundi ſanique ſint, ad Deo ſeruiendum. Alterum his ſeruit, qui intus exiſtentes infirmantur & doloribus prægrauantur, etiam mortalibus. Primis lauacrum inſtituit Baptiſmatis, per quod homines intrant in Eccleſiam mundi, abluti, iuſtificati, ſanctificati: *Hæc quidem fuiſtis* (inquit Apoſtolus de grauiorum criminũ reis) *ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Secundis prodeſt pœnitentiæ Sacramentum, medicina eſt hæc adeò potens, vt ex ſe curare valeat & ipſum Iudam proditorem, ſi debitè acceſſiſſet. Attamen hoc intereſt, quòd primum baptiſmi remedium, vnum & idem eſt omnibus, hic in conſiderationem non veniunt peccata húius vel illius in particulari, vno eodem modo abluit mundatq; omnia, quocirca in primitiua Eccleſia vna aquæ cõſperſione baptizabant Apoſtoli centum, ducentos ſimul congregatos, pauperes & diuites, puſillos & magnos, viros & mulieres. Amplius quid eſt de pœnitentia, quæ prodeſt illis, qui iam in Eccleſia infirmantur, requiritur enim vt ſingulis manus ſuper caput imponantur, & vulneris vniuſcuiuſque pertentetur altitudo ac diligenter attendatur, quid ſinguli in ſua deferant conſcientia: quia iudicium agitur; vt autem diuerſi iudicentur, ſingulorum in particulari eſt cauſa diſcutientia, nec expediret aut eſſet rationi conſentaneum, vt ſi centum eſſent diuerſis criminibus obnoxij eadem omnes ſententia perſtringerentur, ſed vt cuique ſua ſcelerum detur grauitati qualitatique conformis oportet.

1. Cor. c. 6. 11.

III. Sed hæc diuerſimodè applicantur.

54 ☞ IV. Duæ ſunt ſpecies morborũ corporalium eorumq; remedia. 1. 2. p. q. 66. a. 5.

Eleganter hanc expreſſit doctrinam, qui ſua totam illuſtrauit Eccleſiam Angelicus Doctor noſter D. Tho. Notans duas eſſe ſpecies infirmitatum: quædam ex cauſa procedunt extrinſeca, & per aëris corrupti contagionem, vt peſtis & catarri, quædam autem ex cauſa intrinſeca in ſingulis, quia proprij corrumpuntur humóres, vel per eorum intemperantiam, in hoc enim nimia dominatur colera, ex qua febris incaleſcit, in illo flegma, quo membra obſtupeſcunt; in illo quia nimis multum comedit, in iſto, quia ſuo tempore non comedit. Sicut autem diuerſæ ſunt hæ ſpecies infirmitatum, ita ſint oportet diuerſa remedia. Quoad primam, quæ in omnibus ex vna procedit cauſa, & eodem modo, quadrat optimè omnibus vna eademque medicina, ſicut quo tempore lues graſſatur, omnibus præſcribitur theriacum, & bufo: verumtamen quoad ſecundam, cuique ſua ſingularis eſt adhibenda medicina, quæ illi reſpondeat, illi neceſſaria eſt purgatio, huic venarum apertio, iſti ciborum abſtinentia, alteri alimentum, &c. Hoc modo duas intellige ſpiritualium ſpecies infirmitatum: quædam eſt

V. Duæ ſpecies morborũ ſpiritualium eorumq; remedia.

dam eſt ex contagione, & cauſa extrinſeca, quæ
ſicut peſtis adhæret; per carnis contactum: hæc
autem eſt peccatum originale, quòd ab extrinſeca
profluit cauſa Adami, ob carnis peccatricis con-
tactum, quô tua ex eius procedit carne. Sic enim
teſtatur Apoſtolus: *Per vnum hominem peccatum*
Ro. c. 5. 16. *in hunc mundum intrauit, &c. & ita in omnes ho-*
*mines.* Huic optimè conueniebat omnibus com-
munis inſtitutio remedij; cum ſit enim eadem in
his & illis infirmitas, ſit pariter & medicina;
ſanctum ſcilicet baptiſmi remedium.

Sunt autem & aliæ infirmitates, quæ in ſingu-
lis ab intrinſeco principio promanant, iuxta par-
ticularem humorum intemperantiam, peccata di-
co actualia, quæ ſicut heri diximus, de tua pro-
pria naſcuntur voluntate, prout in actibus parti-
cularibus, & ex cauſis deuiat ſingularibus. Harũ
curationi cuique propria expedit medicina, ritè
perpenſis cauſa ſtatuque cuiuſque ægritudinis, vt
cuique maximè cõgruum applicetur remedium.
Ad rem aptè ſcripſit D. Gregor. Nyſſen. Frater
D. Baſilij Epiſtolam ad Latoynm Epiſcopum
Milytenenſium. D. quoque Cyprian. de eodem
intento librum compoſuit, cui titulus: *De lapſis*:
Tim. 3. cuius ea mens eſt, omnes monere Confeſſarios,
VI. negotio ſuo diligenter attendant, quemque non
Admoni- ſegniter examinent, antequam abſoluant, ſibique
tio ad Cõ- perſuadeant Confeſſarijs grauiorem culpæ partẽ
feſſarios. imputari, ex qua pœnitentes non debitè curan-
tur, pro huius doctrinæ confirmatione varias de-
dit epiſtolas oratoria facundia pleniſſimas: Dia-
Ep. 10. 11. conis Cleroque Romano; Pœnitentibus (inquit)
12. 18. qui neceſſariam adhibent diligentiam, & volunt
D. Cypri. quàm primum abſolui, ignoſci poteſt: *Et lapſis*
*quidem poteſt in hoc venia concedi:* quis enim in-
firmus non ilicò curari deſiderat? Quis non car-
cere conſtrictus, quàm primum liberari? *Quis*
*non ad ſalutem ſuam venire feſtinet?* Qui culpæ
ſunt obnoxij, Confeſſarij ſunt; quia ſingulos non
examinant, nec vulnera detegunt, vt experiſſi-
mi medici, quô ſanentur, cuique manum non
adhibent, & ſpecillo non probant, vt nouerint
vnde ipſa oriantur. Proh dolor, quot Confeſſarij
☞ 55 pœnitentes decipiunt, dicentes: *Ego te abſoluo,*
Iſa. 3. 12. quibus & illud Iſaiæ dicere licet: *Popule meus,*
*qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam*
*greſſuum tuorum diſſipant;* Auctor verò legit: *In*
*errorem mittunt, & ſemitam pedum veſtrorum tur-*
*bant.* Quot heu ſuperficialiter tantum ſanantur,
quia non debite ſingulis manum impoſuerunt, &
digitis ſuis ad vulnerum fundum non acceſſe-
runt: *Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & pu-*
*tAminibus amputatis, medela fortiore curandum.*

Videamus porcelle luxurioſe, quanto tempore VII.
libinibus inſorduiſti? eijce de domo ſcandalum Diligẽ-
illud & quid non expediret vt ageres, quo tuam ter exa-
mortificares laſciuiam? Auri ſitientiſſime, minandi
videamus, quid in illo lucratus ſis contractu: cũ pœnitẽ-
igitur iniuſtus ſit, anne reſtituiſti? Videamus, tes.
quàm ſit cor tuum illi conueniens, qui hoc crea-
uit? Tu murmurator, ſcrutemur quæ dixiſti, num
in alterius detrimentum, vel puellæ denigratio-
nem, & qua ratione ſatisfeciſti? Heu Domine,
grauiter hoc ſentiet, vociferabitur. Sentiat licet,
vociferetur (reſpondet D. Cyprian.) extremè do-
leat: hæc namque bonus participendit medicus:
*Vociferetur & clamet, & conqueratur æger per do-* D. Cypri.
*lorem impatiens, gratias aget poſtea, cum ſenſerit*
*ſanitatem.* Quid cogitas nihil ampliùs dicendum,
decenni concubinario, quàm perlege vnum ro-
ſarium? inueterato laſciuijs, recita ſeptem pſal-
mos pœnitentiales? vſuris aſſueto, decem ſacra
perſolue? præſentibus & proximis occaſionibus,
ab illis abſtine? qualis quiſque veniat, attendatur,
& quàm rite diſpoſitus, non leuiter propoſita exa-
minentur, quæ fecit, occaſiones quas habet, quod
eius ſit damnum, vnde oriatur, quæ perditionem
eius promoueant, quæ poſſunt illi eſſe emolu-
mento; vt enim Spiritus S. ait: *Non omnia omni-* Eccle. 37.
*bus expediunt, nec omni animæ omne genus placet,* 41.
id eſt, eſt conueniens. Incumbit Confeſſario
conſiderare, quæ D. Auguſt. in pœnitente mo-
net eſſe conſideranda, illo celebri decreto, quod
Gratianus ſuis decretis inſeruit: *Conſideret quali-* De pœni.
*tatem criminis, in loco, in tempore, in perſeuerantia,* diſtinc.
*in varietate perſonæ, & quali fecerit hoc tentatio-* 1. c.
*ne, & in ipſius vitij multiplici executione, &c. Om-*
*nis enim iſta varietas confitenda eſt, & deflenda,*
&c. Cum autem hæc ſententia tot pateat expli-
cationibus, eam fusè Doctor Nauarrus expla-
nat.

Deo conuenienter pſallit Dauid: *Ædificauit* Pſ. 77. 69.
*ſicut vnicornium Sanctificium ſuum in terra, quam*
*fundauit in ſæcula.* Locus ſanctitatis, vt omnes
conſentiunt, Sancta eſt Eccleſia, domus Petri,
quam fundauit in æuum duraturam, de quo alias
diximus, vbi nobiſcum Dominus dignatur ha- Matth.
bitare vſque ad conſummationem ſæculi: *Ego vo-* 28.
*biſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummatio-* VIII.
*nem ſæculi.* Locus ſalutis. Attamen ædificauit Vnicor-
*Sicut vnicornium.* Vnicornis ex ſententia D. Iſi- nium.
dori apud Græcos idem eſt ac Rhinoceros, ani-
mal adeo viribus præualens, vt cætera ſuppri-
mat vincatque animalia, licet robuſtiſſima, ipſos
etiam Elephantes. Robur illi maximum eſt in
cornu, quod inter ambos oculos eminet, tantæq;
viguin-

virtutis, vt multis medeatur infirmitatibus. Solo contactu aquas etiam mortiferas, & ſerpentibus horridas purgat à veneno, ſuaues reddit potabiles, & ſaluberrimas: & in hoc omnes conueniunt quotquot de naturis animalium ſcripſerunt, & communiter iſtas referunt proprietates Vnicornis; & hanc præſertim quòd illi cornu creſcat medium inter oculos, vt perſpicuè quamlibet aquam, cui illud intingit intueatur. Non illud inconſideratè intingit, ſed prius in illas oculos ſuos defigit quàm cornu. Symbolum Eccleſiæ proprium: domus eſt fortiſſima: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: huius fortitudo, teſtatur Balaam, *ſimilis eſt Rhinocerotis*. Et tota hæc profluit ex cornu quod habet: omnis etenim poteſtas, quâ pollet Eccleſia, ex virtute Saluatoris immenſa procedit, quâ ſibi ſubijcit vincitque diabolum, imo cunctas inferni poteſtates. Hoc cornu totum eſt ſalutiferum: *Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.* Ideo Chriſtus Dominus omnem ſuam virtutem in noſtram ordinauit ſalutem. Exaltauit ædificium Eccleſiæ vt domus eſſet, & noſtræ ſalutis fortitudo, eo quidem modo, vt nulla poſſet inter nos oriri animarum infirmitas quæ in domo eius ſuã non inueniret medicinam? *In domo Dauid*: ita dicamus: *In domo Petri.*

Mat.16. 18.
Nu.24.c.8
IX. Pœnitentiæ Sacramentum cornu ſalutis.
Luc. c. 1.

A Chriſto Petrus eligitur electione omnino ſimiliei, quâ Deus Dauidem elegit: brachium dedit illi manuſque robuſtas adeo, vt illis poſſet aperire & claudere cœlum. Tantæ poteſtas eius eſt excellentiæ, vt quolibet ex omnibus poſſit aquis venenum auferre. Per aquas intelligit D. Ioannes populos. *Aquæ populi ſunt.* Nulla eſt aqua, quam non peccati veneno infectam vidit ille, qui ait: *Nemo mundus à ſorde; Non eſt homo qui non peccet. Et ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Habemus in eo remedium, ſi venenoſæ huic infectioni Chriſti Saluatoris virtus applicetur, per pœnitentiæ Sacramentum: nobis qui peccatores ſumus hoc ſeruatur beneficium, qui Eccleſiam ingreſſi animæ munditiem amiſimus, quæ nobis in Sancto baptiſmo conferebatur; quotidie in noua labimur peccata, frequenter admodum noſtri cordis aquas inficit diabolus. Ad hoc magnus ille pater inſtituit cornu Salutis fortiſſimũ, pœnitentiæ nempe Sacramentum, cuius forma hæc eſt: *Ego te abſoluo.* Proh, quæ tollit venena! quæ ſoluit vincula! quos vectes confringit! Proh qualem adducit ſalutem!

Apoc.c.17. 15.
2.Para.6. 36.
Iob c.15. 15.
1.Ioa.c.1.8

Porro vt legitimè, & fructuoſè hoc cornu ſalutis applicetur, ſint oculi aperti, conſiderandum vbi intingatur, attendatur illius, qui abſoluitur, ſtatus, conditio, diſpoſitio, mores: quàm in eo firmiter ſit radicatum peccatum, quàm longè remotæ occaſiones, quàm integrè tertij damna reparata, quomodo ſatisfecerit ſibi in vltima cõfeſſione præſcriptis, qua ratione impleuerit, quæ Confeſſarius illi facienda iniunxerat, quomodo ab illo tempore vſque modo vixerit: Quid ſit, quòd iterum eum coegerit in peccati lapſum, ex qua occaſione in peccatum, perditionem, damnumque ceciderit, ſic ſupra ſingulos manus imponendo, ad ſingulorum vulneris intima penetrando, cuiuſque tentando pulſum, præſcribere poterit efficax aptumque remedium. Ni fallor hoc vates indicauit regius illo pſalmo, quò modum decantat, quò ſe Deus oſtendit nobis in remittendis omnibus noſtris peccatis indulgẽtem: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Et ſtatim deſcendit formam declarans, quam in hac ſeruat curatione noſtrarum benignus infirmitatum: *Faciens miſericordias Dominus, & iudicium.* Noueris hæc omnia fieri innumerabilium viribus miſericordiarum, quibus nos in libertatem vendicat, & erigit incolumes. Illæ ſunt innumeræ, ſunt plurimæ: *Miſericordias.* Verum hoc per iudicium: *Et iudicium.* Iudicium actus eſt iuſtitiæ, quæ reſpicit æqualitatem. Quocirca Confeſſarius intelligat, quòd locum ſuppleat Dei, faciendo miſericordias in Sacramento pœnitentiæ & iudiciũ ſeu iuſtitiam, quæ eſt compenſatio rei ad rem, vt talis ſit pœnitentia quam pœnitenti impoſuerit, & talem applicet infirmo medicinam quæ ſit proportionata delicto, & propoſitæ conueniens infirmitati. *Iudicium* ſi S. conſulamus ſcripturam, nedum eſt actus iuſtitiæ, ſed etiam prudentiæ, & ſignificat, quòd Confeſſarius omnia debeat perpendere, nec præceps eſſe nimis aut inconſideratus, ſed quòd maturè perpendat, & ſingulas inſpiciat actiones, & circumſtantias, & peccatorum occaſiones: *Diſponet ſermones ſuos in iudicio.* Vulnus aperiat, ſpecillum apponat, & vulneris ſcrutetur altitudinem, totum videat malum, non ſit cura ſuperficialis tantum quod peius foret. Oportet amputet, & quidquid putridum eſt, reſcindat: etenim præterita abſoluendo & futuris proſpiciendo curabuntur omnes in hac vita per gratiam, & in altera per gloriam ſempiternam. Amen.

X. Quæ cõſideranda in pœnitente, antequam abſoluatur.
Pſ.102. 3.
Pſ.111. 5.